illam, si, uti opus est, petieris, certissime consequaris. Illi porro innituntur Auctoritati filii Dei dicentis Joann. 6. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Dei filius in hac promissione nihil peculiariter excipit eorum, quæ ad salutem pertinent; omnes actiones nostræ quantumlibet sanctæ sint, non semper a Deo donum hoc, & perseverantiæ obtinent gratiam; neque cum certitudine affirmari potest, te illam assecuturum. Sed ora, & bene ora; eventus orationis tuæ sponsorem ipsum habes Evangelium. Verum nisi oravero, certumne est, me illam nequaquam obtenturum? Utique, juxta communem Providentiæ regulam hoc certum est, inquit S. Augustinus: *Deum confiteor*, notate verbum, *confiteor, aliis non omnibus, ut initium fidei, aliis nonnisi omnibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam*.

PARAGRAPHUS IV.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Fructus orationis.

ORatio validissimum subsidium est, quo uti possimus apud Deum, ut illum nobis conciliemus. Per illam huic nostras aperimus necessitates, ejusque misericordiam consequimur; hæc via est, per quam omnes illius benedictiones, & gratiæ ad nos perveniunt; dare quidem vult; sed vult etiam nos petere: *Petite, & accipietis*. Joann. 16. Hic honor est, quem majestati suæ a nobis deferri vult; hæc nostræ egestatis confessio; hæc submissio est, in qua nos contineri vult, ut perpetuam habentes rationem ad eum in nostris necessitatibus, quæ juges sunt, confugiendi eidem inviolabili servitute adhæreamus. Hanc ille nobis extendit viam, atque damnabilis temeritas esset eamdem negligere, ut alias sequeremur. Docet Sapiens se per illam a Deo obtinuisse votorum summam, atque sapientia fuisse repletum; *Invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ*. Sap. 7. Et Sancti Patres, qui perfecte vias Domini noverant, hortantur, ut ad eum enixis precibus confugiamus in iis rebus omnibus, quæ pro illius cultu, & gloria suscipimus, & præterea in omnibus animæ, & corporis necessitatibus. *Abbas Trapensis collatione pro 5. post Pentecosten Dominica*.

Orationi adjecenda actio est, ut a Deo illa quibus indigemus obtineamus.

Quantacumque sit orationis virtus, & essentia, semper tamen cum actione conjungenda est, Vult quidem, nos orare, Deus; sed vult etiam, nos operari. Actio sine oratione temeritas est, atque præsumptio, uti Sanctus Augustinus ait, & oratio sine actione, ignavia est, & negligentia. Labores igitur cum orationibus sunt consociandi, & eodem tempore, quo a Deo petimus id; quod necessarium est, omnes adhibendæ curæ, ut nos dignos præbeamus, qui votis damnemur. Illusio esset credere, Deum nobis ea, quæ petimus, hoc est ea, quibus private indigemur, elargiri, quin nihil ex nobis conemur, ut illa nobismet procuremus. Opem illius exposcimus, quod supponit, nos pro viribus operari. *Idem*.

Quomodo illud intelligendum: oportet semper orare.

Vult Deus, nos semper orare, & id in Evangelio Salvator præcepit: *Oportet semper orare, & non deficere*. Verum quomodonam adimpleri hoc præceptum potest, quod in praxin redigi nequaquam posse videtur? Hoc pacto. Non exigit Deus, ut jugiter vocales preces effundamus, hæ nobis tædium afferre possent; & reipsa hoc munere defungi non possemus. Neque poscit, ut jugiter de genu illum adoremus; externa hæc pietatis officia nos nimium fatigarent, ac tandem conficerent. Neque requirit jugem mentis applicationem, qua adorabiles ejus perfectiones meditemur; quod beatorum tantummodo est. Petit igitur, ut semper eo in statu simus, in quo orare semper valeamus, ea quæ facimus offerendo illi, nosmet sub illo humiliando, ab eo rebus in omnibus pendendo, supremamque illius bonitatem confitendo in rebus omnibus, quæ ab illius manu recipiemus; denique illum orando non quidem actu perenni, sed humili, sinceraque cordis nostri dispositione. Omnes, quas facimus, actiones christianæ tot esse possunt orationes. Dei verbum audire, orare est; munere sui officia obire, orare est; pro Deo pati, ac laboribus exerceri, hoc egregium in modum orare est. Lacrymæ nostræ, suspiria, jejunia, eleemosynæ, omnes bonæ actiones nostræ orant pro nobis; ideoque semper orare est propter Deum, & Dei amorem operari, quodcumque operemur. *Jésy propositione pro quinta Dominica post Pascha*.

Homines terrena potius quam spiritualia petunt.

O Deus quam pauci ad aras tuas supplices accederent, si cœlestium dumtaxat bonorum penes te esset arbitrium! Quam pauci tibi vota nuncuparent, si gratiarum, æternorumque dumtaxat bonorum esset distinguitur, & æternorumque dumtaxat bonorum esset distinguitur, & dispensator? . . . Nonquid a spiritualibus necessitatibus preces nostras ordimur? Numquid animæ mala primum deprecamur? Numquid in orationibus gratiam, & charitatem numquam interituras, an bona, & honores nobiscum perituros flagitamus? Cum adversa fortuna, vel iniqua judicum sententia de gradu, ad quem vestra vos vanitas extulerat, deturbavit, quænam sunt prima vota, quæ in cœlum emittitis? Numquid primum vobis curæ est peccatorum remissionem, vel divinæ voluntatis complementum expetere? Numquid manus in cœlum attollitis, ut inter providentiæ brachia confugiatis? Omnes quidem cogitationes vestras in Deum convertitis; verum ut terrenas has calamitates deprecemini &c. *Sermo Manuscriptus*.

Oratio est humiliatione conjunctâ esse debet propter nostras infirmitates.

Oratio Omnium infirmitatum nostrarum memoriam ciere debet. Utique, Christiani; orare est suam miseriam agnoscere, suamque infirmitatem fateri, suam plorare vilitatem, & oprare, ut quamprimum ex iis, quibus premimur, egestatibus eruamur. Orare est velle aliquid majus esse, quam sumus; plura habere, quam habemus, coram supremo hoc ente, a quo subsidium expectamus, necessitatum nostrarum magnitudinem exponere. Orare est rubore suffundi hinc quidem Dei magnitudinem, inde nostram humilitatem intuentes, est velle nosmet conformare sanctæ illius regulæ, corrigere, quod in nobis improbum est, strenue ea, quæ insunt, mala amputando: ut omnia verbo complectar, orare est primum quidem miseriam nostram exponere, mox vero eam deprecari. In hoc sensu tota continetur vis, totumque meritum orationis; atque non postrema illius conditio est, propriam agnoscere egestatem, simulque propriam impotentiam fateri. *P. Massillon in sermonibus recens editis sermone de Chananæa*.

In orationibus nosmet divinæ subjicere debemus voluntati.

Deus magis quam nos nostras videt necessitates, & melius quam nos, cujus rei indigeamus, cognoscit; ideo in orationibus nostris nosmet eidem remittere debemus, nostramque sortem in manibus ejus relinquere. Sæpe ab illius misericordia tamquam gratias exigimus ea, quæ ejusdem justitia in nostram pœnam permittit: accidit enim quam sæpissime, ut divinæ sapientiæ in nos ordinem adeo parum revereamur, & adeo parum ab illo pendeamus, ut immo providentiæ legem inferre velle ex votorum nostrorum libidine videamur. Sæpe privatis regimur studiis, & affectionibus, sæpe naturæ defectum sequimur iis in precibus, quas effundimus Deo; desideria nostra Dei voluntatem regere volunt, & numquam desideria nostra Dei voluntate regi volumus. Et sane cum aliquando in bonis, fortuna, & dignitate vos Deus percussit, umquam ne illi in cordis humilitate dixistis: Domine, si miser hic status, ad quem redactus sum, acceptus est in oculis tuis, me in hac egestate, & confusione relinquas, nec istinc me umquam eripias? an e contra nonne satis lacrymarum effudistis, ut hanc bonorum jacturam desleretis, millies precibus Deum fatigastis, millies ab illo enixis precibus quæsivistis, ut tot vos malis liberaret? Voti vos compotes effecit; sed quin gratiam elargiretur, vos punit: bona, quæ importunis postulationibus vestris concessit, in luxum, aleam, scelus impendistis, & opes, quas semel amissas iterum estis adepti, tristis fuere vestrarum cupiditatum instrumenta. *Idem*.

Precibus quid petendum a Deo.

Si quid habemus, quod a Deo precibus impetremus; quot autem rebus non indigemus? primum nobis petendum est gratiæ illius auxilium, affectionum nostrarum victoria, perseverantia in bono, ac veræ virtutis gustus. Petamus enixe hæc bonorum genera, Dei quippe voluntas est, quod sancti, fideles, virtute præditi efficiamur. Verum cum agitur de æstimatione, vel opprobriis, de prosperis, vel adversis, de honoribus, vel humilitatibus; eheu! quidquid in his omnibus ab eo petere debemus, hoc est, ut videlicet cum obsecremus, obtestemurque, ut suam in nobis sanctam voluntatem adimpleat, ut solum metiri velit mala, quibus nostram percutit infirmitatem, nostrasque vires augeat, prout dolores augebit, & ut numquam nobis concedat, nisi quod ex evangelio saluti nostræ conforme esse didicimus. *Idem*.

Sæpe fallimur in iis quæ a Deo petimus.

Hic, o Fideles, pietas in orationibus fallitur, & qui orat, spiritualia cum temporalibus, divinaque negotia cum propriis confundit. Et sane credimus, si minus infirma, minusque gracili valetudine gauderemus, magis nos pares futuros sanctis operibus: si magis robustum corporis habitum haberemus, cum voluptate nos severissimæ religionis austeritates subituros; atque hac mente non cessamus, quominus firmam, constantemque salutem precemur, Deumque precibus fatigemus, ut exoratus majores vires, ac robur nobis concedat. Illudebantur olim Idololatræ in deorum delubra confluere, atque effusiores eleemosynas erogaremus, prout opulentiores nobis essent proventus. Hac mente licere putamus, majores opes exposcere, ad sublimiores evehi dignitates, gravioribus honoribus decorari: sed hæc mera illusio est. Deus enim non exigit, ut in languenti, affectaque valetudine eosdem subeas labores, iisdem operibus exercearis, & idem pondus feras, quod qui robustum, & infatigabile corpus forti sunt; id unum flagitat, quod viribus, ac statui tuo parea virtutes exerceas. *Idem*.

Oratio fervens esse debet, & ex corde.

Non oratur, S. Augustinus ait, ubi cor non orat, cumque Dominus cor tantum postulet, hoc etiam unum ille audit. Oratio autem ex corde profecta semper fervens, atque integra esse debet, cor teporem, frigus, negligentiam nescit. Chananæa quidem mulier loquitur, sed ex corde loquitur; ore voces emittit, *clamavit*; sed gemitus cordis ejus longe potentior est clamore labiorum ipsius. Gemit, sed lacrymæ ipsius sunt tenuis expressio affectionis, ardorisque cordis. Querula ejus verba Jesu Christi aurem vellunt; sed tenera cordis ejus suspiria Salvatoris oculis exhibent spectaculum bonitate illius longe dignius: fervor illius totum ferme orationis ejus est meritum ... Et sane fervor adeo necessarius est orationi propter bonorum, quæ a Deo poscimus, naturam. Quid? Æternorum bonorum petimus possessionem, gratiæ Salvatoris auxilium, in servitute illius perseverantiam: hæc autem adeo pretiosa, tantique momenti bona, quæ sola nos in omnem æternitatem beatos efficere possunt, hæc inquam bona frigide, & negligenter petere possumus? Cor totum, integrumque numquid nimis est ad id expetendum, quod unum illi satisfacere, omniaque ejus desideria uberrime potest explere? Ita ne oramus, cum terræ hujus petimus bona? Nonne cor, totumque cor urget, sollicitat? Numquid æque frigidi sumus, & oscitantes, cum gratiam aliquam temporalem, vel aliquod beneficium a principe nitimur precibus obtinere, uti cum æterna a Deo petimus beneficia? *Idem*.

Oraciones quæ in communi fiunt, Deo gratiores sunt quam quæ fiunt in privato.

Deus libentius audit preces, quæ in fidelium cœtibus effunduntur, quam quæ seorsim, & ab aliquo privatim fiunt. Itaque primi fideles, ut plurimum, in aliquem coibant locum sanctæ huic exercitationis facrum, ut suas voces in cœlum attollerent; & quamvis omnes diversa peterent, Deo preces tamen suas in cordis, ac intentionis unitate offerebant. Mala cujuslibet fidelis tunc mala erant cæterorum; & quilibet in sancti hujus cœtus orationibus & laboribus suis solatium, & egestatibus opem inveniebat. Quid negare poteras, Domine, precibus adeo sanctis? Si vota nostra nequaquam exaudiuntur, ut illa primorum fidelium, inde fortasse oritur, quia hæc simul, ut illi non consociamus. *Idem*.

Non desunt, qui orandi loco sese aliorum orationibus commendant.

Omnis quorumdam mortalium oratio huc redit, ut bonis viris conscientiæ suæ curam commendent, quin ipsi Domini opem exposcant. Sed quam gravis horum illusio est! Quid prodest quod fideles Jesu Christi famuli huic tota die clament: Converte Domine peccatricem animam hanc, quam tuo sanguine redemisti; illam ex tot vitiorum cœno erue; cum interim ipse illi dicas: Haud ita Domine; nondum advenit tempus, commercium hoc relinquendi; ne insistingas Domine illa, quæ mihi placent, me quidem convertere volo, sed non tam cito. Neque ideo dixerim pro peccatoribus, & fratrum conversione orandum non esse; hoc facere consuevit ecclesia; hoc Dei filius jubet; hoc charitas flagitat. Verum cum salutis nostræ negotium ad nos potissimum spectet, ipsi petere debemus, nostrasque orationes cum precibus eorum conjungere, qui pro nobis intercedunt.

Sanctis satis non erat orare; fratrum quoque implorabant auxilium, & enixius flagitabant, ut pro ipsis Deo preces offerrentur, & ne cessaretur ab oratione. quoties in Epistolis S. Paulus hanc tundit incudem, precaturque, ut omnes ipsi precibus opem ferant? Adjuro vos, inquit, fratres per Jesum Christum, & Spiritus sancti charitatem, ut mecum decertetis orationibus, quas Deo effundetis pro me. Pratres suos obtestatur; per hoc exprimit, quanta illius sit sollicitudo, quantus ardor; illos per Jesum Christum obtestatur, nequit sane sanctius nomen adhibere: verum nequit simul apertius ostendere suum desiderium, quo cupit, ut fratres pro ipso deprecentur. Seipsum tamquam medium in prælio considerat; scit in prælio acerrimo, ubi cum potenti hodie congrediendum est, sæpe, si solus dimices, periculum esse, ne vincaris: opem a fratribus petit, eosque ut secum consertis orationibus dimicent, hortatur. *Lambez tomo I. octavo Sermone de Oratione*.

Qui pernicioſa, & mala petunt non exaudiuntur.

Ne putes, eo quod Christiani fumus, & habemus fidem, ideo ab Ethnicorum vitiis immunes esse. Videbantur olim Idololatræ in deorum delubra confluere, ut sese numinibus commendarent, eæque non sine aperta pietatis nota precarentur; verum quid ab illis petebant? Ea, quorum honestum, & cordatum virum puderet. Utinam, ajebat quidam, hunc hominem de medio tollere possem, cujus bonis hæreditatis jure ditescerem. Utinam, ajebat alter, ut illi hujus substantia meæ accederet; quam felix essem! Si Dii hoc mihi concederent, ut ejus mulieris animum delinirem, quam voti mei compos fierem! atque propter id genus postulata Diis suis thus adolebant. Video equidem vos hiscere, ut hos vecordes, cæcosque mortales probo dignos judicetis: verum zelum cohibere vestrum, nisi vosmetipsos damnare velitis; neque enim culpa vestra levior est. Illi erant idololatræ corruptos venerantes Deos, a quibus malesanæ cupiditatis suæ expetebant effectus; ideoque ea tantum postulabant, quæ ipsorum studiis erant conformia, eorumque palpabant affectus. Vos autem Christiani, qui Deum colitis, qui peccatum perhorrescit, quomodo ea, quæ noxia sunt, petere audebitis? Hæc maxima impietas est, quæ tamen singulis accidit diebus. Potissima orationum pars has falsas Ethnicorum devotiones imitatur, videtis patres, matresque ad id omnia vota sua nuncupantes, ut familiæ suæ nitorem obtineant, preces effundentes pro filiorum profectu, quos interim nutriunt inter mundi inania placita, quin adlaborent, ut illos de christianæ religionis præceptis erudiant. Ille vero quid petit? bonam valetudinem, ut suis indulgeat voluptatibus, opes quas in alea, & luxu absumat. Hæ petitiones Deo indignæ sunt, neque ibi quædam sacrilegii species deest; quippe fatuis hujusmodi precibus Deum in flagitiorum vestrorum partem vocatis. *P. Bourdaloue Sermone in Evangelium de Chananæa*.

Non satis est petere ea, quæ bona sunt, ob bonum finem etiam sunt petenda.

Quamvis ea petamus, quæ bona sunt, & quæ a Deo sunt: nihilominus, quia illa ob pravum petimus finem, non exaudimur. Ut plurimum enim temporalia petimus bona, ea videlicet, quæ ad vitæ hujus bona referuntur, quin de bonis animæ laboremus. Verum est vos petere bona, quæ a Deo sunt, sed talia sunt, ut in utrumque usum possint adhiberi, & ad alium quam ad salutis finem referri. Petitis bonam valetudinem, nominis existimationem, bonum rerum vestrarum exitum; quid ultra Ethnicus potest expetere? Hic desinit effectus orationum Gentilium, atque Idololatrarum, Dei filius ait Matth. 6. *Hæc omnia gentes inquirunt*. Sed de conscientiæ probitate, ac puritate cordis nemo sollicitus est, pauci ob id preces effundunt. Ubi invenietur, qui precibus humilitatem, charitatem, aliasque christianas virtutes obtinere contendat? Quisnam Missæ sacrificium offerri curat, ut ab animæ vitiis liberetur; quemadmodum efficere solet, ut a corporis ægritudine sit immunis? Ullane publica impendere videtur calamitas? Numquam tot visæ sunt devotiones, quot tunc institutuntur: sin autem de morum corruptionibus agatur, nemo movetur, nemo Dei opem implorat. Post hæc miraberis adhuc, si in irritum cedat orationes tuæ. *Idem*.

Hominis pleraque in precibus effundi non sunt.

Quotusquisque in oratione attentus est? quotusquisque cogitat, quæ dicit? Plurimi quidem orant, sed quia illorum oratio attentione caret, idem est, ac si non orarent omnino. Nonne verum est devotionem nihil esse aliud, quam prolixam vocalium precum consuetudinem? petitionum, quæ errabunda mente fiunt? labia quidem moventur, sed alia cogitantur. De hoc jugiter Deus in Biblis conqueritur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. Matth. 5. & Marc. 7. Eheu! quam usitatum est videre eos ipsos, qui Deo sese devoverunt, & qui sacris operantur quotidie, multa orantes nihil orare, quia per consuetudinem, & sine attentione preces effundunt. *Idem*.

Attentionis defectus in oratione causa est propter quam non exaudimur a Deo.

Non sine causa, & magna quidem nos Deus non exaudit, quoniam orationes nostræ potissima deficiunt parte, videlicet attentione, Tantum abest, quod hæc oratio sit, ut immo contemptus dicendus sit Dei, quo ejus in nos justitia non lenitur, sed irritatur. Quid? volumus Deum preces nostras audire, ipsi vero illas audire nolumus: *Domine, exaudi orationem meam*. Psal. 4. & 38. Tu autem teipsum non audis, illi respondet Deus: mecum loqueris, quin de me cogites; me oras, & nescitis quid dicas, nullam adhibes attentionem, &c. *Idem*.

Sequitur fructus amplissimus, & jucundissimus orationis, cum a Deo preces audiuntur. Est enim, ex S. Augustini sententia, oratio justi clavis cœli; nam *ascendit*, inquit, *precatio, & descendit miseratio: licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam*. Cujus orandi muneris tanta vis est, tanta utilitas, ut ea re cœlestium donorum amplitudinem consequamur. Nam & impetramus nobis, ut ducem, & adjutorem adhibeat Spiritum san-

sanctum, & fidei assequimur conservationem, & incolumitatem, & vitationem pœnarum, & divinum patrocinium in tentationibus, & ex diabolo victoriam: Omnino inest in precatione singularis gaudii cumulus, quam ob rem sic loquebatur Joann. 16. Dominus: *Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Concilii Tridentini Cathechismus parte 4. c. 8. De utilitate Orationis.*

De orationis nostrarum negligentia.

Nonnumquam etiam fit, ut adeo remisse, & negligenter oremus, ut ne ipsi quidem, quod dicimus, attendamus. Cum autem sit oratio mentis ascensus ad Deum, si in orando animus, qui ad Deum referri debet, peregrinatur, nulloque studio, nulla adhibita pietate temere precationis verba funduntur, quomodo inanem orationis hujus sonitum, christianam precationem esse dicemus? Quare minime mirum est, si Deus nostræ non obsequitur voluntati, cum vel ipsi nolle id nos, quod petimus, pene probemus nostra negligentia, & ignoratione precatione; vel postulemus ea, quæ nobis sunt obfutura. *Idem.*

Plerique orant, ut suis satisfiat cupiditatibus.

Deo maximæ habeantur gratiæ; templa nostra deserta non sunt: verum perpendamus paulisper, qua mente huc homines accedant. Plerique ut suis satisfaciant cupiditatibus preces effundunt, ut opes consequantur, ut pericula evitent, pro consanguineorum incolumitate laborant, pro domus suæ fortuna, pro sæculari dignitate, quæ ambitur. Omnes huc suas afferunt cupiditates, affectusque suos, ac deplorabili cæcitate sæpe a Deo petunt, quod a mortalium nemine petere auderent. Volunt sibi concedi, quod concupiscere nefas est. Volunt Dei misericordiam in pravorum consiliorum suorum partem accersere, eique illa nuncupant vota, quorum gravissima esset pœna, si votis damnarentur. . . . Quot labiis quidem honorant Deum, cor autem eorum longe abest ab illo? Quot mentem suam voluntariis distractionibus rapi sinunt, loquuntur, quin cogitent, orant, quin sciant, ac se audiri volunt, cum ne ipsi quidem se audiant, ut ait S. Cyprianus? *Flechier Sermone in Templi cujusdam consecratione.*

An omnibus egestatibus ad Deum confugiendum sit. Pauci petunt cœlestia.

Cum Domini simus, sive nos ille humiliet, sive attollat, jugiter submissi, & ab ejus gratia pendentes vivere debemus. Cum adversitatis tempore nos mœror conficiat, ac deferat mundus, orandum est, S. Jacobus inquit, & confugiendum ad Deum, qui semper nos recipit, & consolatur. Cum peccata nostra in cœlum clament, ac Dominum ad ultionem sollicitent, preces quoque nostræ clament oportet, & Dominum ad misericordiam sollicitent. Oratio tributum est, quod reddimus Deo, necnon confessio magnitudinis, & potentiæ ejus in nos. Auxilium est, quod in necessitatibus nostris contra penas peccatorum nostrorum est præsto. Propugnaculum est contra vitæ hujus tentationes, & afflictiones. Est ergo medium admodum efficax ad mores corrigendos, ad cœlestia dona promerenda, & ad emergendum ex calamitatibus nostris. *Idem.*

Profecto si quotidie cum gemitu columbino ploraremus coram Domino, qui fecit nos, id est coram omnipotente, & amantissimo Patre nostro, quid non impetraremus? . . . Non est Deus avarus distributor donorum suorum, *Qui dat omnibus affluenter, & non improperat*, ut loquitur S. Jacobus c. 1. Sed ideo non accipimus, quia non magni facimus dona Dei, neque gratiam remissionis peccatorum, neque ipsam vitam æternam. Si enim ista magni faceremus, frequenter, ardenter, cum clamore valido, cum gemitu, & lacrymis peteremus. Sic enim petunt temporalia bona cives hujus mundi, qui illa valde diligunt: sic etiam petunt, & accipiunt servi Dei dona cœlestia, qui illorum pretium noverunt; sed hi pauci sunt, illorum infinitus est numerus. *Bellarminus c. 1. de gemitu columbæ.*

Plerique fidelibus parum intelligunt quid sit orare.

Nisi Deum agnosceremus, numquam oraremus, quoniam orationibus nostris Deum adorare intendimus, eique cultum adhibere; necnon ejus omnipotentia nos ad illius aras adducit. Sed hic Deus simul est Pater noster, & nos adoptavit in filios. Hinc quin a primo illo nos officio dispenset, quod quidem nostræ submissionis indicium est, vult præterea nos ad ipsum in necessitatibus nostris tamquam patrem confugere, & fidenter ab illo petere, quidquid nobis necessarium esse censemus. Hoc autem orationis genus in mundo vulgo ignotum esse affirmo; de quo tamen Dei filius apud Apostolos suos verba fecit, cum solemni sponsione se illo, quotiescumque aliquid petiissent, exauditurum esse recepit. Quin istic duos hosce Dominum precandi modo confundam, illos e contra pro virili separare contendam, cum unice mihi proposuerim apud vos habere sermonem de precationibus hac mente fusis, ut aliquid a Creatore nostro obtineamus, hoc est de precibus, & petitionibus, nequiquam consideratis tamquam tributis Divinæ debitis Majestati. *Ex manuscripto Sermone P. Stephani Chamillard.*

Fides oranti essentialis, & necessaria.

Cum S. Augustinus loquitur de oratione, opus est, inquit, fidem illius basim esse, & fundamentum. *Fides est fons orationis.* Cur? quia dubitatur, ne non solum utrum Deus opem nobis afferre possit, cum absolutissimus sit rerum omnium dominus, ac de illis pro suo arbitrio disponat, verum etiam, utrum reipsa nobis prodesse velit, ac se expectet orari? Fieri nequaquam potest, quod oratio nobis communis sit, & familiaris. Quid? si fides in Deo duplicem hanc nobis non detegeret qualitatem, qua ratione ad illum in nostris necessitatibus confugeremus? Idea, quam de essentiæ ipsius superioritate habemus, non finit supremam illius potestatem in dubium vocari. Ita nemo fidelium est, si aliquot insanos demas, qui hoc minime norint; sed bonitas ejus non eamdem in animis nostris efficit impressionem. Quæcumque nobis testatus, posticitusque fuerit Deus homo factus, non erubescimus hanc fovere animo cogitationem, Deum non ita illis, quæ ad nos pertinent, intentum esse, ut sibi hanc injecerit necessitatem, ut indesinenter paratus sit nobis audiendis, & exaudiendis. Ab hoc non abhorremus; nostris confidimus viribus, amicorum nitimur auctoritati; sciti alicujus hominis consilio habemus fidem, sexcentas inquirimus vias, ad Deum tunc tantummodo nosmet convertimus, cum omnibus humanis auxiliis destituti sumus. *Idem.*

Virtus orationis.

Audite hæc, o Fideles, non minus ad vestrum solatium, quam doctrinam, libenter huic immoror argumento. Jesu Christi mentem affecutus non est, qui non videt promissionem illius, qua generatim se hominibus concesturum esse spopondit, quæcumque ab ipsis peterentur, nullis finibus, atque cancellis coarctari. Quid? nonne durius in novæ, quam in veteris legis filios alioquin ageretur? Impius Manasses petit, & obtinet; David peccator orat, & exorat. Quodnam majus petimus argumentum futurum, ut æque & nos votis damnemur, si illos imitati fuerimus? Precationibus, quas Creatori offerimus, S. Chrysostomus inquit, id inest, propter quod Deo placent: *Vis intelligere quanta res sit oratio? non tamen valet amicitia apud Deum, quam oratio.* Et sæpe supremus hic Dominus mortalibus insignes gratias concedit, non quod illi grati sint, & fideles, sed quia petunt, & flagitant; quod amicitia non perfecit, id ab oratione perfectum est. *Idem.*

Ordo, quem Dei filius in orationibus nostris poscit.

Incipiamus eas optare gratias, atque supernaturalia dona, a quibus beata pendet æternitas. Prima vota, ac ardentissima desideria vestra erga spiritualia bona ferantur; deinde temporalia etiam optare licebit. Hoc adeo parum est divinæ indulgere voluntati, ut si hæc petere oblivisceremini, ea ex se ille vobis concederet: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Id Salomon expertus est. Altissimus illi idem ac nobis obtulerat, ac se nihil negaturum receperat. Princeps ille hac in re nostrum exemplar bona prætulit spiritualia; petiit sapientiam; Deus vero posteaquam petitam concessit sapientiam, illum etiam annis, honoribus, & opibus cumulavit. Hic ille ordo est, quem in bonorum suorum distributione Deus servare vult; a spiritualibus initium ducere, ac in temporalibus desinere. Ne infringamus, ne perturbemus, ne subvertamus hunc ordinem, omnes petitiones nostræ illi erunt acceptæ. Præterea alia ex eo petite bona, verum non aliam ob causam, finemque, nisi propter salutem vestram. Gravissima laboratis egestate, postquam in rerum omnium affluentia nituissis; status hic adeo diversus vos enecat, opprimit, conficit: jam murmur tantum, impatientia, querimonia auditur. Vobis lis intentata est, ac forensibus jurgiis, atque tumultibus male assueti a pristina vivendi ratione ita discessistis, ut Deum ultra orare nequeatis, neque consuetas pietatis exercitationes obire: gravis infirmitas plures jam menses vos in cubili detinet, quamcumque vim imaginationi vestræ faciatis, malum vestrum semper vobis ob animum versatur, integrosque dies, quin ullam effundatis orationem, traducitis. Deum precamini, ut bonam vobis concedat valetudinem, ut judicio victores abeatis, ut ex egestate emergatis, hoc pacto ex his occasionibus in æternum pereundi, vel saltem in via salutis languendi, evasuri. Quandoquidem satis fortitudinis vobis non inest, ut ex ipsis adversis utilitatem percipiatis, Deum ob has causas obtestantium, obsecrantiumque preces christianæ erunt, easque Deus poterit exaudire. *Idem.*

Cogitandum est nos orare Deum, ut sicut oportet, oremus.

Patres in id semper operam navarunt, ut nobis modum præscriberent, quo divinam Majestatem exorare debemus. Neque enim satis putantes a nobis ea tantum optari, quæ saluti nostræ prodesse possunt, præcipiunt etiam, ut illa eo modo, quo opus est, flagitemus;

mus; videlicet, ut meminerimus, Deum esse, quem invocamus, ac nostra interesse illum veluti Deum invocare, ubi, si vel minimum defecerimus periculum est, ne ullam orationum nostrarum habeat rationem. Modo volunt, nos viva fide animari, atque meditantes Creatoris nostri magnalia bonitatem vero præsertim, atque petentiam, uti speciosio hoc igne, quem sanctus ardor in cordibus nostris accendere consuevit; modo metu correptos in nostræ infirmitatis intuitu præbere profundæ humilitatis indicia, quæ intrinsecus etiam prosiliant; modo eam cogitantes fortunam, per quam cum Deo loqui possumus, nosmetipsos intrinsecus colligi, & ex cogitationibus nostris minima quælibet expellere objecta, quæ illas valeant dissipare; verbo, nihil a nobis prætermitti, quod Cœlum flectere valeat. *Idem.*

Vult Deus preces nostras audientes esse, ac sollicitas.

Esto quidem a Deo illa tantum petatis, quæ sancta, & salutaria sunt, videlicet vestram conversionem, salutem, perfectionem, affectuum victorium, mundi odium, virtutis amorem, possessionem immortalis gloriæ, ad quam nati estis; nihil hoc sanctius, nihil laudabilius: sed nonne verum est, vos inter petitiones vestras metuere, ne postulata assequamini? Deus ardentia diligit vota, violenta desideria, anhelantia suspiria. Pauper illum afficit; miser eum movet; qui in afflictione gemit, illum suis doloribus ad misericordiam flecti cognoscit; non eo quod pauperes magis amet, quam divites; non quod miserum, afflictumque protegat; non quod eorum, qui injuste opprimuntur, lacrymas abstergat; sed quia horum preces sunt cum summo fervore conjunctæ. Extrema calamitas eloquentiores nos facit, & satis est aliquam optare gratiam, ut tunc obtineatur. *Ad Dominum cum tribularer, clamavi*, Regius inquit Propheta: Ps. 119. *& exaudivit me.* Duo hæc non separat; centies in Psalmis beneficia, quibus a Deo cumulatus fuit, accepta refert clamoribus, gemitibus, atque cordis sui effusionibus. *Idem.*

Deus a nobis perit in oratione perseverantiam.

Cogitate Chananæam mulierem, tunc etiam cum respuebat Jesus Christus illam videre, & audire, eamque alienigenam vocabat; crederetisne? canem, miseramque appellabat; nonne afflictæ hujus genitricis orationem admirabatur, nonne fidei ejus constantiam laudabat, nonne petitionem ejus probabat, eamque exaudire cupiebat? Filiæ ejusdem curatio hoc palam probat. Cum vidit Sancti Augustini, matrem septemdecim annos orantem, lacrymantem, plorantem, jejunantem, filiique sui conversionem petentem, amabat proculdubio Monicæ lacrymas, atque austeritates. Quinam ambigi potest post eas gratias, & favores, quibus eam cumulavit? *Idem.*

Deus præcibus temporalia bona concedit dum sunt necessaria.

Jesus Christus, qui Moysis legem perfecit, illam hac in re non mutavit; quamquam Redemptor spes nostras ejus terræ obertatem minime coarctaverit, ubi flumina lacte manant, & melle: attamen orationi nequaquam illam ademit vim, quam olim habebat ad temporalia bona obtinenda, neque petitionis virtutem ad spiritualia tantum gratiæ, gloriæque dona redegit, quandoquidem precationis omnipotentia nullos cancellos constituit: *Omnia quæcumque orantes petitis credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Marc. 11. Considerate quæso horum verborum extensionem. *Omnia* Non igitur solum virtutes, quæ animam ornant, non solum dona, quæ spiritum perficiunt, non gratias, quæ cor inflammant: *Omnia*; sed generatim omnes corporis necessitates. Et sane nonne illas expressit in eo orationis exemplari, quod nobis reliquit? Quid enim prodesset, Domine, nos adigere ad petendum adeo frequenter panem quotidianum, nisi illum fideli petenti concedere decrevisses? Itane crudeli esses, ut frustrari velles eam spem, quam ipse proponis; & eam repellere orationem, quam ipse præscribis? Haud ita, Fideles, dici nequit, Jesum Christum in eo extensione, quam orationis impetrationi concessit, comprehendere noluisse hujus temporis necessitate. Cum hoc ecclesiæ persuasum fuerit; illa, quæ Jesu Christi regitur spiritu, quosdam regionis dies constituit, quibus a Domino vitæ necessaria peterentur eo tempore, ubi messium spes adhuc exilis, & male tuta efficit, ut populus sentiat se a supremo rerum moderatore pendere, qui feminibus ab agricola terræ creditis præbet incrementum. Particulares necessitates ab eo non minus pendent, quam publica copia, pax, & consensus familiarum, quas discordia laniavit; honor, existimatio illarum, quibus injuria aliqua labem effudit: felix eventus litis, cui colorem adspersérat iniquitas; felicitas, & lucrum in mercatura, hæc omnia fructus sunt orationis: hæc se concessurum recepit Deus; *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Joann. 16. Ipsa etiam regnorum, rerumque publicarum gloria, & victoriæ de hostibus relatæ ab oratione proficiscuntur. Moyses hostibus populi sui minus Israelitarum arma, quam orationis robur opposuit: certus, victoriam nequaquam semper a sapientia periti ducis pendere, montem ascendit, brachia simul, votaque sua in cœlum attollit, secreto pugnat, S. Chrysostomus ait, ejusque apertissimis affectus sese prodit victoria. *Occulte pugnabat, manifeste vincebat*, Bonus, Malusve præliorum eventus pendet a conatu, quem orans exerit: cum infirmus est coram Deo, Israel universus fatigatur; sed cum similis Jacob Deum superat, hostes fervore illius prosligantur: brachia, quæ in cœlum sustollit, sunt tamquam signum victoriæ, *Dicerer manus ejus esse vexillum victoriæ.* Ut Verbo omnia complectar; quo sese virtus orationis minime extendit. *Ex manuscripto Sermone.*

Finalis perseverantia, quam nemo potest mereri, orationi conceditur.

Finalis quoque perseverantia precibus impetratur: centies populo Christiano metus injectus est terribili hac cogitatione, quod nemo illam mereri posset. Veritatis cathedra centies terribilibus his verbis personuit, mortem in justitia nequaquam adhærere sanctitati vitæ, eamque mere gratuitum donum esse Dei, penes quem æternæ sortis nostræ arbitrium est. Constans hæc veritas, quam impugnare non adeo, proculdubio effecit, ut pii homines, quibus solatium afferre nequaquam cogito, animum desponderent. Quis igitur, Domine, dicere potest in amaritudine condis sui, quis mihi promittere post plures fidelis innocentiæ, vel austeræ pœnitentiæ annos Deum finalem mihi pœnitentiam, donum hoc, quod a meritis nostris minime pendet, concessurum? Quo terrore igitur salutem meam operabor, exitus mei semper incertus? O Deus? cur saltem mihi certam non aperis viam ut illam obtineam? metus mei tranquillitatem, & cor meum securitatem nanciscerentur. Verum murmur, & querelam hanc animæ piæ compescite, Deus hac in re nihil vobis desiderandum reliquit. Finalis perseverantia, S. Augustinus ait, hoc nostræ prædestinationis signum, extremum hoc benefacientis Dei munus simul est effectus, & præmium orationis. De novissima gratia aliud sentiendum est, ac de prima; fidei initium, hæc gratia, quæ nos disponit, ut fideles simul, ab orationibus nostris non pendet: *Constat Deum aliqua etiam in orantibus dare, ut initium fidei.* Christianos esse a nobis non pendet; sed in mea positum est potestate morte justorum obire. Sola oratio certam facere mihi potest æternitatem, certam faciens meam perseverantiam; *Quædam etiam nonnisi orantibus præparasse, ut perseverantiam in finem.* De quo igitur conqueri potestis? *Idem.*

Oratio non minus ad salutem necessaria, est quam religio.

Ampliora dicam. Ad salutem tantum necessarium est orare, quantum religionis actus elicere. Argumentatio hæc est S. Thomæ. Quemadmodum sine religione salvi esse non possumus, ita neque sine oratione. Quomodonam hoc? quia oratione non aliud magis inevitabile officium habet virtus religionis; per hanc virtutem Creatori debitus honor adhibetur; at ullumne est genus cultus magis apertum, magisque submissum, quam oratio? Quid enim esset religio, si proscriberetur oratio? Quis ad templum accederet, nisi vota haberet, quæ nuncuparet, & necessitates, in quibus opem exposceret? Numquid extruerentur aræ, nisi illinc per Angelos ferendæ essent precationes nostræ ad aram in cœlis agno immaculato postem? Numquid offerrentur Deo sacrificia, si per oblatæ victimæ orationem minime nostris egestatibus prodessent? Non miror igitur amplius inter nos levem dumtaxat religionis speciem intuitus, spes concepta a Deo ea, quæ necessaria sunt, obtinendi fideles cogit in templum, efficit, ut genua coram Domino flectant: his submissionis testimoniis quisque suam exprimit religionem. Verum quid hodierna die in generali hac sæculi corruptione contingit? quisque in sua tantum industria confidit, & religio perit propter defectum attentionis in iis, quæ vere nostra interfunt, per orationem procurandis. Aulicus illis tantum idolis adolet thura, quæ sua ipsi constituit fortuna; voluptuosus illi tantum nuncupat vota numini, quo illectus est &c. *Idem.*

Oratio obtinet a Deo quæ petit; Scripturæ exempla.

Moyses pro Judæis orat, quodammodo vim facit Deo, & de manibus ejus fulmen revellit. Josue orat, & voci illius Domino obediente, ut cum Scriptura loquar, Sol ipse in medio immoratur curriculo. Judith orat, & Deus illi animum, roburque præbet ultra sexum illius; nec non oratione protecta Holophernem aggreditur, & ab hoste adeo terribili populum liberat. Publicanus orat, ac momento justificatur; Deus illi integram peccatorum remissionem concedit. Apostoli in Jerusalem congregati orant, & super eos Spiritus sanctus descendit. S. Paulus orat in templo, ac repente extra se raptus audit, & recipit monita salutaria. *P. Girouft Sermone de Chananæa.*

Oratio certam nobis facit finalem perseverantiam.

O perseverantiam, justum mei gaudii, meique terroris

ris argumentum! in hoc uno dono finem malorum omnium, æternamque omnium bonum bonorum possessionem invenio. Hanccine ergo perseverantia consequar? an fœcus? donum ita pretiosum, ut ad illud comparandum omnia libanter impenderem, & ad illud proiiciendum nihil intentatum relinquerem. Quid dico, Fideles? Illud neque comparare, neque promereri omnibus bonis operibus possumus.... Quam terribilis hæc veritas est? Hæc vos terret cogitatio; & ego quoque, ut vos, territus sum, sed in justo eo terrore, quo proculsus sum, non aliud efficere possum, quam caput demittere, & cum S. Paulo clamare: *O Altitudo!* O impenetrabilis divinorum consiliorum profunditas! Attamen me ipsum, vosque mecum oportet consolari, rationem indigitans validam, atque potentem, quæ nobis solatium afferre potest, & ex his terroribus, quibus prosternimur, & ad desperationem adducimur, eruere. Quæ autem hæc ratio est adeo desiderabilis, & necessaria? Oratio est; quandoquidem ex S. Augustini, omniumque Theologorum sententia enixis precibus hoc adeo pretiosum donum conceditur. *Idem.*

Oratio quomodo in dato firmis nobis est necessaria.

Es tu peccator; immo etiam insignis peccator? heu! in tristi hoc statu ab orando ne cesses. Quis enim scit, utrum modo alia tibi ad conversionem suppetat via, quam oratio? Hæc si desit, jam te respicio, vel saltem locus mihi est respiciendi te veluti jam reprobatum. Justus es, tibique rationabilis adest credendi causa, quod habitualiter in Dei gratia vivas? Eheu! ne putes ideo te posse orationis usum negligere; quippe est perseverandum. Bene quidem Judas incœpit, sed periit, quia male desit. S. Paulus e contra falvus factus est, eo quod optimum vitæ suæ finem imposuit, quamvis pessimum illius fuerit initium. Itaque finis vitam nostram coronat, & nostram salutem consummat, neque ad bonum finem sine oratione pervenitur. Neque peccator es, neque justus; sed modo justus, modo peccator, quales tot sunt ignavi, imperfectique Christiani? Eheu! quam indiges peculiaribus gratiis, ut actius tuo muneri adhæreas, ac in eo perseveres? Via autem, per quam Deus frequentius electis suas gratias communicat, nonne est oratio? *Idem.*

Gratia orationis nemini deest.

Gratia orationis nemini deest, quod explicitis verbis docuit S. Aug. *Si desit, ut ages, numquam deficit, quod petas.* Si agendi gratia deest aliquando, numquam deest gratia orandi. Et sane, hic Pater ait, non miror amplius, quod Petrus cesserit tentationi, cui se objecerat? sanguis Jesu Christi, qui tunc effundi incipiebat, operatus non est, ut ejus constantiam excitaret; verbo, agendi gratia illum, ubi eadem maxime opus erat, destituit. Verum dici ne potest, orandi gratiam eidem negatam fuisse? Sacrum testor evangelium, quoties Jesus Christus illum invitaverit, atque sollicitaverit in horto, ut secum oraret? Ter Dominus monitis redarguitiones adjecerat: ne dixerit, ajebat illi bonus Magister, ne dixeris, te mecum vigilare, & orare non potuisse: *Non potuisti una hora vigilare mecum?* Matth. 14. Gratia quidem mea facultatem hanc tibi impertiebat, ac in uno te positum erat, eadem uti. Quid ergo lapsus illius extitit causa? Petrus restitit gratiæ orationis; ac sopor spiritus illius Salvatoris sollicitationibus prævaluit. Si paulisper vim intulisset sensibus suis ingravescentibus, facillius illi fuisset orare, atque in oratione certum invenisset remedium contra tentationem, quæ illum erat oppugnatura. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Matth. 26. Hoc ipsum nobis accidit, o Fideles, in defectibus nostris inexcusabiles, ne acceptos referamus illos defectus gratiæ, sed nostræ in orando negligentiæ. *Sermo manuscr.*

Quid petissimum expectare debemus à benitate illius què rogamus.

Quanto magis P. vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? Ab hac divina bonitate non terrena tantum, & mortalia, sed invisibilia, atque incorruptibilia animæ bona expectare debetis: spiritum lucis, ut agnoscatis viam, quæ vobis est ingredienda, utque tuto ambuletis in illa; spiritum contritionis, ut præterita scelera vestra defleatis, atque ex illis emergatis; spiritum fortitudinis, ut corruptæ naturæ, mundi, infernique oppugnationibus resistatis; spiritum submissionis in vitæ hujus adversis, ut hæc patientia vestra consecretis, & ut illis prædestinationis characterem tribuatis; verbo, spiritum sanctitatis, ut omnia officia vestra rite obeatis seu generalia tamquam homines & Christiani, seu particularia pro variis statibus, ad quos divinæ placitum fuit providentiæ vos accersere, & per quos vos deducere vult, tamquam per totidem calles, ad beatum terminum æternitatis. *Petentibus se.* Verum quibus ille potius spirituales suas largitates effundet, quam cupientibus illas, & illis, qui ad illius genua provoluti ei cordis sui desideria testantur? Si nonnumquam ille nostra prævenit desideria, quid erit cum se urgeri, ac sollicitari sensiet? Suum aperiet sinum, sua tendet brachia, omnesque suas depluet benedictiones: *Quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Luc. 11. *P. Giroust. Sermone in Evangelium Chananæa.*

De oratione virtute Deus nihil negare potest petentibus, uti oportet.

Si verum est orationis gratiam nemini deesse, non minus verum est, orationem semper magnam habere vim ad obtinendam gratiam, cujus vi operamur. Jesus Christus hanc suis pollicitus est eo modo, quo nihil amplius potest excogitari. Ecce illius verba, quæ ex iis omnibus, qui in errore sunt, confessionem extorquere debet, salutem nostram nostris in manibus esse, atque in nostra potestate positum nobismet applicare sanguinem Jesu Christi pro nobis effusum. En igitur ejus verba: Luc. 11. *Vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris.* Nullus inter vos adeo crudelis pater invenitur, qui filiis salutaria, qu bus egent, neget dona; quomodo ergo credere possetis, me sollicitantibus misericordiam meam interiorem negaturum opem, quæ illos deflectat, & moveat? Ad examen revocemus vim horum omnium Jesu Christi verborum quæ tantum nobis afferunt solatium. *Pater vester*, haud ita, Fideles, qui mihi famulamini, ita sævus non sum, ut ea servis meis imperem, quæ per necessariæ gratiæ defectum adimplere non possint. Pater sum misericors, beneficus, atque quantum fieri potest sublevans juguni, quod suis filiis imponit: *Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum.* Non solum igitur precibus vestris ea, quæ corpori sunt necessaria, promitto, sed bonitatem, sanctitatem, spiritus rectitudinem; verbo, gratiam, quam in corda nostra Spiritus sanctus effundit: *spiritum bonum petentibus se.* Orationi omnia hæc bona reservavi. Petite, sollicitate bonitatem meam, & vobis respondeo futurum, ut Spiritus sanctus in corda vestra effusus omnia vobis efficiat possibilia. *Sermo manuscriptus.*

Deus non semper audit temporalia bona petentes, & quare.

S. Ambrosius ait, Jesum Cristum pro nobis orantem pro nostra dumtaxat salute precari. Quamobrem nisi ad hunc finem orationes nostræ referantur, erunt invalidæ, quia Jesus Christus orationes suas ad id non obtulit; & ratio, quam S. Augustinus adfert, est, quia idgenus bona spei nostræ objectum non sunt. Ne miremur ergo, si in egestate, atque afflictionibus nos relinquit Deus, neque postulantes, atque eum enixis precibus fatigantes exaudit. Scio equidem hoc olim Lutheucis causam præbuisse irridendi Christianos, quos semper in oratione positos, semperque miseros intuebantur. Sed illis Sanctus Augustinus respondet, hac in re divinæ providentiæ dispositionem facile probari; non vult enim ob id a nobis preces effundi, ut commode vivamus, atque opibus affluamus; Christianus enim non ideo Christianus est, ut in hoc mundo sit felix. Si in oratione sua hanc spem temporalem sibi fidelis proponit, interest illius non exaudiri; temporalia enim flagitans bona, quodammodo se illis privat, quæ ad suam pertinent salutem. *P. Bourdaloue Sermone pro feria quinta post primam Quadragesi. Domin.*

Ecce Christiani ad quid preces vestræ redigi debeant, ad æterna bona petenda, cætera enim inutilia sunt, & Christiano indigna. Eheu! si Deus hujusmodi audiet pro bonis temporalibus vota, hoc indignationis esset indicium; similis esset patri, qui ut filii sui cupiditatibus indulgeret, nugas pro hæreditate tribueret. Quid diceres, si tecum ita parentes agerent tui? nolles profecto: & vis a Deo tibi dari nugas, ac fumum pro solidis, virisque donis? Haud ita sane; bonitas ejus non finit, ipsum te inanibus terræ hujus locupletare thesauris, ne te cœlestibus privet. Imitemur igitur in orationibus nostris Abraham Patriarcham. Deum unum pro mercede petebat, cæterarum autem rerum curam Domino relinquebat. Heu! quandoquidem omnia speramus a Deo, nosmet a terrenis rebus avellamus, quæ saluti nostræ nihilum profunt: *Multa de Deo sperant, sed non ipsum Deum quærunt*, S. Aug. inquit. *Idem.*

Mementote, Fratres, necessitatem orandi actum esse religionis, & quomodo in pœnitentia cordis contritio requiritur, ita in oratione mentis attentio postulatur. Sive hæc necessitas immediate, ac directe ex ecclesiæ ipsius oriatur præcepto, quod eruditissimi quidam Theologi sentiunt, seu fluat ex naturali præcepto, quod ecclesiasticum concomitatur, quo jubemur a Deo sancte, ac digne peragere id, quod nobis imperatum est, quod alii docent: quoquo modo se res habeat, hæc sententiarum varietas nihil aliud est, nisi quæstio in scholis pertractata, cæterum in utraque semper æque peccatur. O Ecclesiastici, vos, qui orare tenemini, quam excusationem affertis? liceat mihi dicere, vos munere vestro æquaquam sperfungi, si absque atten-

attentione oratis, ac multos esse, in quos illud recidat maledictum, quod inimico suo David Psalm. 108. imprecabatur: *Oratio ejus fiat in peccatum.* Ita est, S. Hieronymus ait, hæc verba David erunt plurimorum sententia: preces eorum illis Dei maledicta conflabunt, quia per mentis evagationem effusæ. *Idem.*

Nisi oratio omnè habeat virtutem, què expectare debemus, defectus noster, est non Dei.

Undenam, cum Deus adeo solemnibus promissionibus se postulata nobis concessurum receperit, adeo infrequenter voti damnamur? Quomodo admirabilis hæc virtus, quam Patres orationi tribuunt, hæc facultas omnipotentis iram flectendi, fulmina de manu illius revellendi, & quidquid petitur, obtinendi, conciliari potest cum modico effectu, quem plerumque nostræ obtinent orationes? Avertat Deus, quod hujus rei causam in illum rejiciamus; ipse neque infidelis est in promissionibus, neque impotens, ut fidem præstare non valeat. Potentia illius nullis continetur finibus, & infinita bonitas jurgite illum sollicitat, ut in nos omnia sua bona effundat ... Ut studio, quod habet sese extrinsecus communicandi, faciat satis, offundat oportet in entia omnia, quæ creavit, & in omnes homines, quos ad imaginem suam effinxit, bona, & essentiæ suæ divitias affiduis largitatibus. Ita cum homines in necessitatibus suis ad illum confugiunt id, quod sibi deest, impetraturi, si voti rei minime fiunt, sibi imputent necesse est, qui neque ea, quæ oportet, neque eo modo, quo oportet, petunt. *La Fonte, Sermone pro quinta post Epiphaniam Dominica.*

Quinam credi potest, S. Gregorius inquit, a Deo vocem auditi peccatoris Dei vocem audire nolentis; eumque scribere vetis illius, qui per vitæ suæ flagitiæ divinis indefinenter voluntatibus reluctatur? *Vis Deum te audire in tuis orationibus, cum tu eum non audias in suis præceptis.* Hæc, S. August. inquit, oratio est, quæ Deo non honorem, sed contumeliam adfert; quæ illius iram potius, quam misterationem ciet; quæ gravissimæ potius justitiæ illius ultiones, quam bonitatis gratias merretur. Quæ enim impudentia est coram Deo prodire toties, & adeo graviter læso, quin eidem antea ullo pacto fuerit satis factum, & gratias ab illo expetere, cujus odium subisiti? Nonne hoc esset judicem irritare, præmium ab illo exposcere, antequam illud eluisses crimen, cujus apud eum reus factus es? Nonne hoc esset principi illudere, insignem aliquem in ditione illius gradum ambire, postquam gravi aliqua infidelitate ex illius gratia excidisti? Pater ferre ne posset citra indignationem filium, a quo magna affectus injuria fuisset, venia nondum petita, facti nullum dolorem testatum per vim ejus hæreditate potiri velle? Mirandum ergo est, nisi Deus eorum preces exaudiat, qui in criminosa vita perseverant, quin inde contendant emergere? *Idem.*

Quænam sunt eorum orationes, qui propter patrata flagitia Dei sunt inimici, & hoc in statu mordicus persistere volunt? Quomodo Deum Patrem suum vocare possunt, Dominicam orationem recitantes illi, quos pro filiis non habet, & qui indignam divina hac adoptione vitam vivunt? Quomodo loquentes de cœlo, ad illud animum advertunt mortales, quorum omnes cogitationes, & desideria in terræ hujus bonis, vitæque hujus utilitatibus versantur? Quomodo concupiscere possunt, Dei nomen sanctificari, qui illud vitæ suæ flagitiis dedecorant? Quomodo orare possunt, ut in ipsos Dei regnum adveniat, qui illud ex animo, atque cogitatione eliminarunt, & qui in terrenorum gaudiorum perfruitione suam felicitatem constituunt? Quomodo vere desiderant, Dei in se fieri voluntatem, qui suis cupiditatibus, velificaturi eamdem indefinenter impugnant? Numquid conqueri possunt, ac Deum infidelitatis in promissionibus suis redarguere sibi non concedentem illa, quæ petunt, & quæ adeo parum cupiunt recipere? Nonne sibimetipsis potius debent irasci, atque peccatis suis, quæ, donec illis adhæserint, eos indignos efficiunt, qui Dei gratias obtineant? Utique; peccata eorum divinæ misericordiæ profusiones inhibent, obicem statuunt desiderio, quo flagrat bona sua super eos effundendi. Hoc mirum in modum significavit Jeremias, cum ait, peccata nostra, cum in pravo statu precamur, orationis virtuti resistere, & adversari: *Iniquitates nostræ responderunt nobis:* Jerem. 14. vel juxta hebraici textus vim: *restiterunt nobis.* Innuit autem, cum peccator sine vitæ mutandæ consilio preces fundit, duas simul diversas voces in cœlum attolli, vocem orationis, & vocem peccatorum ejus eo magis clamantem, quo indignior est. Prima illa, quæ ex ore egreditur, pro illo perorat; altera vero, quæ manat ex corde, petitionis virtuti adversatur. Illud vero magis acerbum est, quod altera hæc de superiori victoriam reportat: *Iniquitates nostræ restiterunt nobis.* Scelera nostra petitionibus reluctata sunt, satisque vehementer clamarunt, ne precum nostrarum vox a Domino exaudiretur. *Idem.*

Dei bonitas illum cogit ea, quæ petimus nobis conferre.

Aliquidne comparari potest cum Deo, qui non solum pollicitus est ea se nobis collaturum, quæ ab illo petierimus, sed qui sæpe cogitationes, & vota nostra prævertit? Quippe ad obtinendas Domini gratias, satis est illas sincere desiderare. Cœli Deus similis haud est terræ hujus principibus, qui sæpe nonnisi post sexcentas repulsas, atque ut magnam, & diuturnam remunerentur servitutem, aliquid donant. Dominus, ut nos suis muneribus augeat, vult solum nos eisdem recipiendis esse dispositos. Ita violento quopiam torqueris affectu? præ desiderio ab eodem liberandi coram illo ingemisce, ac ipse te liberabit. Hac, vel illa indiges virtute? Eam sincere desidera, eamque tibi elargietur. *Abbas de Monmorel Hemilia pro tertia Dominica post Pascha.*

Sincere optandum est, quod a Deo petitur.

Quoties Domino vota nuncupantur, quin animus iis, quæ dicuntur, advertatur, & non sine metu obtinendi aliquando, vel nimis cito id obtinendi, quod petitur? Etenim, si fas est hoc in loco humani cordis evolvere duplicitatem, affirmare possumus, quod sæpe nobismet persuadere conamur, nos semper ea facere, quæ in potestate, nostra sunt sita, nobisque idcirco jus esse summa cum tranquillitate in sceleribus nostris versandi, donec ipse Deus aliquo suæ gratiæ miraculo nostra vincula infringat. Ah! si vere id obtinere cupimus, quod imperfecte dumtaxat petimus, labia taceant, & cor loquatur. Cum Propheta Ps. 37. dicamus: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus.* Auferamus obices, qui prohibere possunt, ne id, quod petimus, assequamur: præsertim vero optemus, a Domino ea nobis concedi, quæ sunt ad salutem necessaria, atque tunc, quin elata voce clamemus, *Domine Domine*, Pater cœlestis, qui ea novit, quibus indigemus, antequam illa petamus, precationem nostram pervertet. *Idem.*

Dei filius ea proprie tantum nobis polliceitur est, quæ æternæ salut utilia sunt.

Ne credamus, S. Augustinus ait, cum Dei filius inquit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, pollicitum esse, ea omnia, quæ ab illo petierimus, nobis esse concessurum; quidquid enim desiderari potest, si cum tanto hoc bono comparetur, nihil est. Omnia terræ bona, divitiæ dignitates, honores, a nobis nihilum existimanda sunt, & proprie loquendo, tamquam mera nomina habenda. Sed gratia Dei, mandatis ejus submissio, cupiditatum suarum victoria, contemptus opum, in prosperis moderatio, in adversis patientia ea sunt, quæ vere sunt a nobis petenda, & quæ non obtinere non possumus, si uti opus est, a nobis petantur. Neque ideo affirmaverim temporalia bona peti non posse; quandoquidem præcipit Dominus, ut singulis diebus quotidianum poscamus panem, ut nos ab illo pendere fateamur, ut omnia ab illo proficisci intelligamus, & nihil nobis esse cognoscamus, quod ab illius manu non receperimus. Sed vult temporalia bona sine sollicitudine flagitari; necessarium numquam nobis deerit, donec fecundum christianæ prudentiæ regulas, in illius providentia confidamus ..... Verum quemadmodum temporalia bona omnia ferme nocua sunt nobis; Dominus raro illa concedit, licet sæpissime petantur; alioquin enim ageret contra bonitatem, & misericordiam suam, atque, ut ita dicam, non esset amplius Salvator, eatenus enim Salvator est, quatenus necessarias ad salutem operandam gratias nobis procurat. Bonus est pater, qui furenti filio ensem præbere detrectat, quo hic sibi vitam posset auferre; vel id si facit, ideo solum fortasse facit, quia in illum ira succensus est. Cavendum est igitur, ne umquam ab eo hujusmodi petamus bona spiritu cupiditatis, ne ille nos minime exaudiat. *Idem.*

Sæpe orationes nostræ inutiles sunt, quia male petimus.

Alia ratio, propter quam preces sæpe inutiles sunt, hæc est, quia male oratur. Fit habitus recitandi sine ulla attentione, & cogitatione preces quasdam, in quibus cor nescit, quid os proferat, & orans coram Deo est, quin ibi sit. Cor, Sanctus Augustinus inquit, in singula momenta labitur, quin retineri possit, vel prohiberi, ne post imaginationis phantasmata evagetur: attamen quid est oratio, nisi mentis elevatio in Deum? Si orantes seipsos non audiunt, quomodo illos audiet Deus? & si non audit, quomodo, exaudiet? Caveamus. ne ita orationibus Deum cum sexcentis voluntariis distractionibus oratio nostra vitio nobis vertatur. *Idem.*

Cum humilitate orandum est.

S. Augustini sententia est, orantes seipsos considerare debere tanquam egenos, humi prostratos ante fores magni hujus Patrisfamilias, gementes, ac supplices, ut aliquid opis obtineant. Hujusmodi dispositiones, quæ, ut Scripturæ vocibus utar, officiunt, ut quilibet seipsum consideret tanquam hominem & miserum, & in-

& infelicem, qui in gravissima laberetur scelera, nisi gratia sustineretur; hujusmodi inquam dispositiones, quam aptæ sunt curandæ vahitati, & superbiæ nostræ, constituentes nos in profundæ humilitatis sensibus, inque summa de viribus nostris diffidentia! Oremus in hoc statu, & certi sumus futurum, ut super nos Dei misericordia descendat, prout ad illius solium nostræ præcationes ascendent; etenim hic idem status oratio est, qua nullam Deo offerre possumus gratiorem. *Idem in Homilia in Evangelium Dominicæ quinta post Paschæ.*

Oratio certa via est obtinendi a Deo, quæ petimus.

Ad obtinendas, quas a Deo petimus, gratias, nihil oratione certius est: hæc clavis est, quæ nobis referat cœlos; hæc ad Dei solium ascendit, veluti thus, efficitque, ut Dei gratia roris instar depluat in nos; satis est petere, ut obtineamus, & Dominus nobis spopondit, cœlestem Patrem bonum daturum spiritum petentibus illum. Attamen nisi repente, quod petimus, exoramus; perseveremus in oratione, atque certissime votis damnabimur. *Idem Sermone in Evangelium Pentecostes.*

Deus non orat, qui ab eo certana & ad finitem inutilia petit.

Usque modo non petestis quidquam in nomine meo. Quam nova, & inaudita reprehensio, S. Augustinus ait! Neque enim, si evangelium evolverimus, latebit, ab Apostolis plura postulata fuisse. S. Petrus nonne petiit, ut sibi in vertice Thabor permanere liceret? Mater filiorum Zebedæi nonne pro filiis suis primos petiit accubitus, & hi etiam filii nonne quæsiverunt ab eo, ut vellet, ipsos de cœlo ignem elicere ad ultionem de suis inimicis sumendam? Quorsum ergo Deus hæc Apostolis exprobrat? quia quæ ab illis petita fuerant, temporalia tantummodo bona erant, quæ, ut diximus, nullius momenti sunt coram Deo, nisi ad illius quidem gloriam, nostram vero salutem referantur. Petere mansionem in Thabor, sensibilis consolatio est: primas in Jesu Christi regno sedes nullis meritis debitas, aperta est divinæ justitiæ injuria; ignem de cœlo poscere, est animo ultionis desideria fovere. Quid illis a Deo petendum erat &c. *P. Bourdaloue, Sermone de Channana.*

Petenda non sunt humilia, & quo indigna.

Si parva, si humana tantum, ac temporalia petimus, Deo injuriam, non honorem afferimus. Hæc sacrificia quidem sunt, sed illi Cain similia, qui quod in grege pessimum erat, & inter terræ fructus abjectissimum, hoc offerebat. Quemadmodum hujusmodi oblationes Deo erant contumeliosæ, quia præstantiæ naturæ ejusdem pares non erant; ita nostris subiraici merito potest precautionibus, quæ adeo humilem liberalitatis ejus adstruunt conceptum. Sicuti viri nobiles sese afficiunt injuria, cum ad ipsos mittuntur munera eo, quem obtinent, gradu indigna; ita debita illos fraudat reverentia, qui ab illis ea petit, quæ ipsos largiri non decet. Quamobrem S. Joannes Damascenus ait, orare non aliud esse, quam petere a Deo illa, quæ ejus deceat magnitudinem: *Oratio est petitio decentium a Deo.* Alia quælibet precatio orationis nomen non meretur, ideoque indigna est, quæ exaudiatur. *P. de la Colombiere Sermone 69.*

Metuendum non est, ne nimium petamus a Deo.

Quid sibi vult, dicet aliquis, evangelicum illud *omnia*, quod tantopere celebratur; nonne cuncta significat? *Omnia quæcumque petieritis, credite, quia accipietis.* Matth. 21. Jesus Christus omnia pollicetur nobis, integrum nobis relicturus maxima quælibet postulare, nobisque suasurus, ut nullis cancellis desideria nostra coarctemus. Multum promisit, ut multum peteremus: promisit omnia, veritus, ne quis nimis parum expeteret. Neque his verbis innuit, ipsum nobis & humillima quæque concessurum, verum non negaturum nobis maxima, & quæ maximo habentur in pretio. *Idem.*

Magnum requiritur desiderium obtinendi quod petitur a Deo.

Enixius orandum est, ut liqueat, impensius optari, quod petitur. Desiderium non levis causa est, quæ Deum ad satisfaciendum nobis impellat: *In auribus Dei*, S. Augustinus inquit, *vehemens desiderium est magnus clamor.* Et ratio est, quia cum aliquid vehementer desideratur, plurimum debemus danti ea, quæ cumpiunt. Quapropter Deus, qui beneficia sua perdere non vult, & qui illa non effundit in homines, nisi ubi videt liberalitati suæ gratiam parem non defuturam, Deus, inquam, munerum suorum magnitudinem metiri consuevit ex vehementia votorum, quæ scit gratitudinis nostræ mensuram futura. Itaque S. Chrysostomus post Davidem animadvertit, Deum libenter pauperum preces exaudire: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Psalm. 10. libenter illis, qui afflicti sunt, propitias aures adhibere: *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me.* Psalm. 119. quippe extrema necessitas, quæ hujusmodi homines urget, & impatientia, qua solatium præstolantur, eos cogit impensissimas Domino preces effundere; preces eorum, Sanctus hic Doctor inquit, similes sunt aquis, quæ, quia nimis coarctatæ sunt in tubis, per quos deferuntur, cum impetu erumpunt, ac summa vi sursum prosiliunt. O Christiani, si a Deo proprium conversionem, affectuum nostrorum victoriam, pravorum habituum eversionem, illius amorem, ac paradisum cum ea saltem vehementia peteremus, qua valetudinem, litis victoriam, bona temporalia precamur, ad arbitrium nobis Dei thesauri paterent, omnia vitia nostra sine ullo ferme pugnandi labore vinceremus, totus a facie nostra infernus aufugeret, nobisque Paradisus aperiretur. *Idem.*

Omnes orare possunt, & nemo hac in re præterire potest ignorantiam.

Quidam suam caufantur ignorantiam, quod orare nesciant. Sed quam futilis, pravaque excusatio? Cum quod petimus, ardenter cupimus, natura ipsa in petendo facit eloquentes. Sancti Patres nos ad egenos mittunt, ut hac de re edoceamur: ipsi etiam pueruli hoc nos docere possunt, vix loqui norunt, cum jam precibus suis matres flectere, & urgere didicerunt. Si ad Deum confugeremus cum eadem simplicitate, confidentia, potissimum vero sollicitudine, quam innocentes pueri præseferunt, certum est, nos semper votis iri damnatum. *Idem.*

Orandum est ex fensis humilitatis.

Scripturas evolvamus, ibique plurima hujus veritatis inveniemus exempla, quibus docebimur, eos, qui modum calluerunt, quo Deo preces effunderent, semper ab indignitatis suæ confessione orationum suarum initium duxisse. Daniel testis: *Oravi Dominum Deum meum.* Daniel 9. Cum adversis jactarer; Deo preces meas obtuli. Verum undenam exordium o Propheta precatio desumpsit? Hinc: primum indignitatem meam confessus dixi; Domine, peccatores, atque sanctis legibus tuis rebelles ad te confugiunt: *Confessus sum; & dixi: Peccavimus, iniquitatem fecimus, declinavimus a mandatis tuis.* Testis Esdras, o Deus, tibi preces effundere incœpi ea confusione, qui ex indignitatis meæ intuitu suffusus sum, non audens ad te oculos attollere, propter magnam, quibus obruor, vim peccatorum: *Deus meus confundor, & erubesco levare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum.* 1. Esdr. 9. Testis Publicanus evangelicus: *Propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18. Superbus Pharisæus methodum hanc servare detrectavit, sibique persuasit, si suam morum integritatem, jejunia, eleemosynas, opera bona ostentaret, se facilius votorum summam consecuturum: sed seipsum fefellit. *P. Texier in Dominicali, tertia post Epiphaniam Dominica.*

Deus in precibus nostris spectat magis quod nobis prodest, quam quod petimus.

Cum ad Deum non confugitis, nisi ut opes, honores, mundi voluptates consequamini, æquum non est ab illo preces has exaudiri. Nonne ratio illi potius habenda est eorum, quæ sunt vobis utilia, suamque decent magnitudinem, quam eorum, quæ temere postulatis, quæ neque digna sunt votis vestris, & infinita illius liberalitate indignissima? Rex, cui servimus, S. Basilius ait, potestatem habet nullis cancellis circumscriptam, & inexhaustum divitiarum thesaurum, Cæterum generosos fovet sensus, neque majori voluptate perfunditur, quam nos in bonorum suorum partem admittens; gloriatur ille se liberalem, & magnificum in donis esse, cumque in seipso sit magnus, magnus quoque videri vult in iis omnibus, quæ operatur: magnus in bonis; quibus servos suos cumulat, magnus in suppliciis, quibus in hostes suos animadvertit. Hinc conjiciatis, licet, quam illi displiceant orationes, quibus non aliud objectum est, quam quæ vilia, abjectaque in ejus existimatione sunt, & quæ nullo habet in pretio. Magna ergo dumtaxat ab illo petite, si vultis exaudiri. Illum dedecore afficit, qui exigua petit & ea, quæ ipse amicis, & inimicis indiscriminatim largitur, quin hæc ab ipso petantur. *La Font, Sermone pro quinta Dominica post Paschæ.*

Quomodo licet a Deo terrena petere.

Neque putes, ubi cœlestia bona præcipuum fuerint orationum tuarum objectum, non licere ad Deum in temporalibus nostris necessitatibus confugere. Dei filius in oratione Dominica docet, quotidianum rogare panem; verum cavendum est, ubi hujusmodi res postulantur, id folum petendum esse, quod est necessarium quin ad ipsas usque delicias, & superfluum procedas: idque non anxie, folliciteque nimis efflagitandum esse, sed potius summa cum submissione divinæ voluntati, neque enim in omnibus miraculis, quæ in Sanctorum suorum gratiam operatus est Deus, alicubi opiparam, lautamquam cœnam videmus. Corvus in lege veteri Eliæ panem tantummodo tulit; & in nova corvus S. Paulus Eremitarum antesignano triginta annorum spatio dimidiatum dumtaxat singulis diebus attulit panem. Sed ubi isthæc a Domino petimus, hoc potissimum quæritur, quod illi simplicitter necessitatem nostram exponamus, ejusdem arbitrio integrum relinquentes nobis opem ferre eo modo, quem ille gloriæ suæ, salutique nostræ censuerit utiliorem .... Ita seu nostra

nostra repellat vota, seu eadem expleat, semper contenti, ac certi esse debemus, Deum, qui præ nobis melius ea cognoscit, quæ sunt nobis utilia, id collaturum, ex quo uberrimum fructum percipiemus. *Idem.*

Fiducia, & sollicite superaturalia bona petenda sunt.

Deus illos tantum se promisit saturaturum, qui esurierint justitiam, cujus possessio summam nobis parere debet felicitatem; hæc si desit fames, vel sitis, si mundi bona sitiantur, si omnia vota illuc tendant, ut in mundo opes congeramus, frustra a Deo obtinere contendimus gratias, quas ab eodem petimus. Qui tam frigide postulat illas, flocci eas facere videtur, ideoque se illis præbet indignum. Si enim res quo nobiliores, ac præstantiores sunt, eo ardentius optari, enixiusque flagitari convenit, si etiam minima gratia bona, quæ toto cœlo omnes terrarum divitias superant, frigide tantum petantur, nemo eas recipere meretur. Eheu! si vere intelligeremus deplorabilem statum, ad quem nos culpa redegit, & quantopere Dei ope egamus, hanc profecto non adeo languide expeteremus. Siccine pauperes a divitibus stipem exquirunt? Videte, qua sollicitudine, & cura ea petant, quibus indigent: non aeris intemperies, non morbi eos prohibent, quo minus illuc se conferant, ubi eleemosynam distribui sciunt, & cum affecta sunt valetudine, sese trahunt, vel illuc ab aliquo gestari contendunt. Videte, quanta utantur arte, ut omnes ad miserationem flectant modo vulnera sua detegentes, modo mala, quæ non habent, simulantes; egestate ingenium acuente, ut cor eorum, a quibus eleemosynam petunt, permoveant. Unde autem hæc in eorum petitionibus sollicitudo, hæc versutia, nisi ex sensu propriæ miseriæ, & necessitatis? Verum undenam e contra hæc ignavia, quam plerique orantes præseferunt, nisi quod suam spiritualem parum sentiunt necessitatem? *Idem.*

Non semper obtinemus, quæ petimus, quia male petimus.

Undenam fit, quod adeo frequenter Dei subsidium frustra imploramus; cumque ab illo quotidie plura petamus, nihil obtinemus? S. Jacobus Apostolus hoc verbo docet, quia non petimus, qui opus est, & quia orationes nostræ numquam fere eas habent dispositiones, quæ requiruntur, ut quemadmodum oportet, petatur: *Petetis, & non accipietis, eo quod male peratis.* Jacobi 4. Oratio rivus est, per quem divina bonitas efficit, ut in nos omnes ipsius gratiæ, ac benedictiones emanent. Si aqua uberim non defluit, hoc minime vertendum est vitio fonti, perinde ac exhaustus sit, sed rivo, qui corruptus est. *Auctor Sermonum Christianorum, tom. 3. Sermone de oratione.*

Dei verbum, & oratio differunt, licet utrumque valde sit potens.

Orationi idem non accidit, quod verbo Dei, licet utrumque incomparabilem habeant virtutem, atque potestatem, & utrumque a Sanctis Patribus vocetur omnipotens Dei verbum, quod ut plurimum est efficax, quamvis manet ex ore nefarii præconis, qui illius organum esse non meretur, & quamvis nonnumquam impuris prolatum labiis, sacramenta nihilominus, & mysteriorum omnium augustissimum operatur. Sed vox peccatoris in oratione hac vi caret, nisi cor sit conversum ad Deum, sed in peccato velit permanere ..... Si coram me acceditis, ut aliquid pietatis corde iniquitatis, manibusque cruore madentibus, frustra illas attollitis, non respiciam; frustra preces iteratis, non audiam: *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestra sanguine plenæ sunt.* Isai. 1.

Nullus Monarcha Deo par est libertate; & quo sensu ad illi confugiendum sit.

Petite, & accipietis; quærite, & invenietis. Quisnam rex, quisnam imperator tanta cum bonitate subditos suos allocutus est? Terræ hujus principes divites sunt bonis, quæ ex ipsis subditis recipiunt; verum liberalitate sua exiguum mortalium numerum, quem delegerant, cumulant; alioquin suos exhaurirent thesauros, ac seipsos ad paupertatem redigerent. Salomon ipse magnus ille rex, tanta renidens gloria, totoque opibus dives, quæ illi ab extremis terrarum oris advehebantur, numquam tale protulit verbum... Sæpe accedendum est ad ostium magni Patrisfamilias, conandum est, ut illum ad miserationem flectamus frequentibus precibus ob oculos ejus egestatem, atque necessitatem nostram exponentes. Egenus in terra præ foribus vestris stat, neque satis putans, si a vobis eo corporis habitu videatur, qui vos flectere potest, querulum addit vocis tonum, ut poscat eleemosynam. Hoc vestrum esse debet exemplar, & quin satis esse putetis cognitionem, quam de rebus omnibus habet Deus, opus est ut in vestræ egestatis sensu illi cum Davide dicatis Psalm. 39. *Ego autem mendicus sum & pauper.* *Liber, cui titulus: Veræ orationis idea; p. 1. c. 4.*

Omnia nobis sperada a Deo bonitate, quæ præsto est ut quidquid petimus nobis concedat.

Usque modo non petistis quidquam, dicebat Salvator discipulis suis apud S. Joannem cap. 16. Si hujus terræ princeps hoc vobis exprobraret, quam longe, lateque sese desideria vestra proferrent? quæ bona vos confecuturos sperareris? Tu qui castra sectaris, jam provinciarum regimen, exercituumque imperium animo præpieres; tu, qui ecclesiasticum amplexus es statum, jam insignium beneficiorum, & episcopatuum possessionem tibi promittores; tu, qui affinitatem quæris, jam ex amplissimis regni familiis conjugem tibi desponderes. Hoc autem sine ulla exceptione rex cœli promittit: *Quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis.* Matth. 11. Vos tamen omnes elabi finitis dies, quin ullum supplicem libellum illi porrigatis, numquam cum illo de necessitatibus vestris loquimini, ac obstinato animo nihil ab illo petitis. Nonne hoc est illius contemnere benitatem, & amori illius injuriam inferre? *Idem.*

Omnia a Dei bonitate expectare debemus, postquam nobis fuit tradidit filium.

Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Ad Rom. 8. Æterne Pater, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, si cum tui aperti eramus inimici, ac palam tibi peccatis nostris bellum inferebamus, pro nobis dilectum tradidisti filium, ut nostra esset pax, atque reconciliatio; quomodo aliquid nobis negare posses, nos in vivæ contritionis sensu prostratos videns, atque in orationum nostrarum fervore sanguinis illius merita prætendentes, ut accedamus ad te, opemque nostris necessitatibus imploremus? Certum est licet eo fervore, quo Seraphim ardent, preces effunderemus, tibi majorem esse donandi, quam nobis recipiendi cupiditatem. *Idem.*

Pericula, & occasiones, in quibus versamur lædendi Deum nos continent, ut indefinentes oremus.

Vos, qui illum non agnoscitis statum, qui orationis exercitationem adeo necessariam, atque inevitabilem facit; vos, qui inter tot pericula, in tanta noctis caligine, & secus oram adeo terribilis præcipitii, tot mortalibus oppugnat inimicis tuto ing edimini, quin Dei opem flagitetis, ut liberemini, scitote nullam vestra majorem esse cæcitatem. Non cæci solum estis, sed audeo dicere, pro infelicitatis vestræ cumulo sensu etiam carentes. Si enim in vera illusione versaremini, sexcentas videretis occasiones, quæ sese vobis objiciunt quotidie, & in quibus modo impatientia vos rapi finitis, modo contra Deum murmuratis modo ob injurias succensetis, modo in gravissimum mœrorem, vel immodicam lætitiam erumpitis, modo pravos sermones profertis, pravasque fovetis cogitationes. Nonne vobis id faciendum esset, quod S. Petrus Apostolus explicitis verbis etiam, atque etiam fidelibus omnibus commendat, ut in oratione vigilent, ac religioso perciti terrore propriæ infirmitati sæpe Deo dicant: *Ne nos inducas in tentationem?* Si ad Deum crebro confugeretis, sanctum vobis compararetis habitum semper vobismetipsis invigilandi; atque divina ope roborati de inimicis omnibus victoriam reportaretis. *Idem.*

De Charitate confidentia, & perseverantia.

Albertus Magnus animadvertit, Dei filium nequaquam ab eo fubstitisse, quod mulier Chananæa ab ipso petiit, filiæ videlicet illius cautione; & sane omnipotentiæ suæ usum nequaquam in hoc uno effecta coarctavit dicens: *Fiat tibi sicut vis*, Matth. 15. Quod petis fiat, sed fiat *sicut vis*: quidquid cupis sine ulla exceptione; omnipotentia mea pro te est rebus in omnibus, illius usum tuæ voluntati relinquo, quin ullos illi cancellos constituam: *Non ponit metam ei, qui in fide terminum non habuit.* Merces merito respondet. Nulla fuit repulsa, contemptus, injuria, difficultas, vel nulla etiam in speciem impossibilitas, quæ mulieris hujus confidentiam coarctare, & imminuere potuerint: hos omnes obices fregit, omnes terminos superavit. Ita Jesus Christus potestati, quam tribuit ejus orationi, propter confidentiæ pretium nullos constituit fines, omniaque sine limite, atque exceptione illi concedit. *Maimbourg. in Quadrag. Sermon. in Evang.*

De perseverantia in oratione.

Certi vos a Deo impetraturos quidquid ab illo petieritis, quæcumque difficultas occurrat, orate, urgete, pulsate, perseverate, ac importune, indefinenter, incessanter, sine intermissione, sine induciis Deum sollicitate; non secus ac importunus ille felix, qui ad fores amici noctu pulsare non cessat, quantumvis increpetur, & exprobretur, donec tres panes acceperit; uti evangelica vidua, quæ usque persecuta est judicem, a quo rejiciebatur, donec illum invitum coegit, ut sibi jus diceret. Confugite ad potentes patronos, qui causam vestram tueantur. Quodcumque eveniat, vosmet humiliate, confundite, & indignos Dei gratia vos esse fatemini: humilis hæc, & fervens perseverantia orationem vestram efficiet omnipotentem. *Idem.*

Fervor in precibus adhibendus.

Si orationes vestræ languidæ, frigidæque fuerint, si caruerint sancto illo fervore, sine quo attolli non possunt, credendum est illas numquam exauditum iri, & semper optato exitu carituras. Oratio lingua est, vox, & sermo cordis; si cor vivum est, & fervens, oratio viva est, & animata; e contra vero si hæc frigida est, argumentum est, cor quoque frigidum esse, atque parum, vel nihil omnino cupere id, quod per orationem vide-

videtur optare. Verum ullus ne major constitui potest obex effectui, quem illa habere deberet, quam interiori dispositione testando, ea, quæ petuntur, nullo in discrimine haberi; & nonne hoc est medium statuere parietem inter orantem, & eum, cui oratio dirigitur, quasi obicem interponere velletis, ne illa ad eum usque perveniret? Nonne videtis, hoc frigus, hunc languorem Dei iracundiam excitare, ac vos ea ope destituere, quam ab illo expectare debetis? Hæc ratio est, propter quam hominum plerique in irritum suas preces effundunt, & quin preces ipsorum illis sint utiles, tepor, & acedia, quæ eas concomitantur, ipsorum damnatio est, ac certissimum argumentum, quod ab ipsis gratia a Deo sibi oblata contemnatur. *Abbas Trappensis tom. 4. Collationum collatione pro die solemni Sanctorum ordinis S. Benedicti.*

A Deo quidem generatim petimus, eumque obtestamur, ut nostri misereatur, ut nostra peccata dimittat, verbo, ut nos salvos faciat; sed minime quæritur, quænam ingredienda sit via ad has omnes gratias obtinendas. Quis enim enixis precationibus flagitat Deum, ut sibi injuriarum perferendarum, inimicorumque diligendorum virtutem præbeat? quis vim precatur opum, honorumque contemnendorum, pauperisque, & humiliatæ vitæ ducendæ inter eos, qui gloria, & honore coruscant, cum inter illos ob status sui officia versari tenetur? Denique quis importunis, assiduisque precibus fatigat Deum, ut sibi amorem impertiat ignominiarum & opprobriorum, quæ nullo modo sejungi possunt ab ea necessitate, qua fideles crucem gestare tenentur &c. *Idem.*

Vult Deus orari, quamvis per se beneficus sit.

Deum nobis beneficiendo suapte natura propensum esse, in dubium revocari non potest. Nos illius creaturæ sumus; neque ille nos creavit, ut mox derelinqueret. Ad finem supernaturalem evexit, atque pares effecit, qui illum in omnem æternitatem possideremus; & quia per primorum parentum lapsum ex hac exciderамus dignitate, ipse nos inaudito bonitatis exemplo elevavit de cœlo in terram descendens, ut lapsis tenderet manum. Infinitis ipse nos gratiis prævenit, quin illas petierimus, vel petere potuerimus: hæc præstantissima sunt studii ejus erga nos, & benevolentiæ argumenta. Verum orari etiam vult ob alios favores, quos ab illo petere & possumus, & debemus, ut nostram agnoscamus submissionem, eamque palam testatam faciamus. Scit ille, quid sit nobis necessarium, & nihilominus hortatur, ut precibus apud eum laboremus. Mundi Salvator apud S. Matthæum c. 6. dixit: *Scit Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Quid autem inde illaturus fuisse videtur? Hoc profecto: non est ergo cur eum precemini, quandoquidem vobis studet, & melius quam vosipsi necessitates vestras agnoscens, illis proculdubio prospiciet. Verum prorsus oppositum arguit: *Sic ergo orabitis.* Scit ille quidem, quid vobis sit opus, & orari vult. *P. Duneau sermone pro feria 2. post 4. Adventus Dominicam.*

Pauci Christiani Deum orant.

Quomodonam plerique vivunt Christiani? Mane consurgunt, capite sexcentis negotiis ea die agendis, transigendisque impedito. Vix suis sese vestibus ornarunt, cum mercator ad tabernam suam, artifex ad officinam, causidicus ad chirographa, negotiosus homo ad obeunda negotia proficiscuntur, & illi, quibus nihil est, quod agant, ad libidinum, ganearumque suarum sodales se conferunt, atque suis tantum solatiis indulgent. Reliqua diei pars inutilibus occupationibus teritur; vel si necessariæ sunt, nihil ibi nisi utilitas, & voluptas propria, non autem Dei honor inquiritur. Vespere diurno fatigati labore requiem tantummodo concupiscunt. Hoc pacto dies incipitur, traducitur, absolvitur que sine oratione, & quin de Deo ne cogitetur quidem. Quomodo autem vultis illi curæ esse negotia vestra; vel ipsum eam vobis opem præbere, quam non petitis, immo ne petere quidem cogitatis? Ad eum ascendere debetis, si illum ad vos descendere vultis. Non descendit ejus misericordia, nisi vestra ascendat oratio: *Ascendat ad te Domine oratio mea, & descendat super me misericordia tua. Idem.*

Fervor in oratione adhibendus.

Facite, ut oratio vestra sit clamor cordis vestri, ut ex illius sensu procedat, ut illius ardores, atque affectus explicet; vel potius, ut Spiritus sanctus illam ibi efformet operationibus suis prorsus divinis, interius os vestrum aperiat, linguæ motum tribuat, verba labiis suggerat; hæc enim sola digna sunt majestate Dei, atque exaudiri merentur. Quantum in vobis est, efficite, ut os vestrum illo exardescat igne, de quo loquitur Propheta cum ait Psalm. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Ab oratione vestra omne frigus, distractionem, languorem, acediam repellite, & numquam ad Deum accedite adoraturi, nisi omni conatu, totaque animæ plenitudine, ut oratio vestra non magnitudini solum illius, quem oratis, verum etiam magnitudini, ac multitudini necessitatum vestrarum respondeat. *Abbas Trappensis Tom. 1. de vita Monastica cap. 11. de Oratione.*

Defectus fidei, & confidentiæ in oratione.

Orationes nostræ pluribus scatent defectibus; sæpe enim neque fidem habemus neque confidentiam. Oramus quadam consuetudinis specie, sed mens dubitationibus referta est. Inconsulto preces effunduntur, quin Dei vel potentia, vel bonitas consideretur. Ad Deum confugimus, cum homines deficiunt; & Deus semper postremus est, cui vota nuncupentur. Auxilium petitur a consanguineo, ab amico, illis habemus fidem, in eorum promissione confidimus. Promittit Deus, eique non creditur. Quantulamcumque potestatem habeat homo, qui nobis gratiam aliquam pollicetur, ita infirmi sumus, ut illi statim fidem adhibeamus; quantumvis omnipotens Deus sit, ut nobis opituletur, semper ita aniseri sumus, ut dubitemus. Superbia nostra efficit, ut in nobis tantum confidamus, utque a nobis omnia, a Deo nihil expectemus. *specimina Sermonum Quadragesimæ Sermone pro feria 5. post 1. Quadragef. Dominic.*

Sunt peccatores, qui a Deo suam petunt conversionem, & nolint convertí.

Cum peccatores in sceleribus suis permanere decreverunt, inutile est, ipsos orare Deum, ut cor eorum tangat. Deus illos non tangit, voluntas quippe illorum secreto oppositum dicit eorum, quæ os loquitur, atque orationem suam, eodem tempore, quo illam proferunt, arguunt mendacii. Etenim hoc nonne est Deum impotenter illudere, potiusquam rogare; dicere, converte me, Domine, simulque hæc proferendo verba, converti nolle, immo turpe commercium servare, & in proxima peccandi occasione subsistere velle? Attamen nihil in mundo hujusmodi peccatorum genere frequentius est: perfunctorio aliquo stimulo permoti, terribilibus aliquibus exemplis perterriti, fatigati pondere iniquitatis, vellent illi quidem liberari noxiis habitibus, inordinatis affectibus, turpibus commerciis; verum nullum exerunt conatum, ut sua vincula infringant; nullum movent lapidem, ut pravos habitus exuant. Hunc cordis eorum situm, non speciosam orationem labiorum, Deus audit. *Ibidem pro tertia Adventus Dominica.*

Oratio magis necessaria est illis, qui in nido versantur.

Nullus est vitæ status, ubi oratio sit magis necessaria, quam in mundo, ac illis, qui mundi hujus commerciis, negotiisque impediti sunt. Oratio, & gratia duo sunt simul ita conjuncta, ut invicem nequeant separari; oratio gratiam prævertere debet, atque præcedere; gratia effectus est orationis, & ipsius etiam principium. Quæ cum ita sint, nonne liquido constat, nullum esse vitæ statum, in quo magis necessaria sit oratio, quam in mundo; quandoquidem ibi opus est gratiam vehementius operari, ut nos victores, atque in bono perseverantes efficiat? Mundus est cæcitas spiritus, & cordis obduratio: confugiendum est igitur ad orationem magno cum ardore, ut mens quidem illustretur, cor vero incalescat per gratiam, quæ nonnisi oratione obtinetur. *Ibidem pro quinta Dominica post Pascha.*

Oratio nos tutos facit inter vitæ hujus scopulos, atque pericula.

Cum cogitamus, nos orationis ope tuto incedere posse tot inter scopulos, qui latent in mundo, & indutos his armis, quæ toties victoriam retulere, certos nos esse triumphi de salutis nostræ hostibus referendi; ubi primum animam nostram ad Deum elevamus, cœlum universum pro nobis ad arma descendere: a Deo tamquam oculi pupillam servari eam, a quo fidenter oratur; cum hæc inquam cogitamus, animoque revolvimus promissiones, quas toties & Deus iteravit, & nox experti sumus, cœlestis erga eos protectionis, qui eamdem implorant, fateri cogimur, si perimus, nostræ tantum negligentiæ interitum esse referendum. Non injicit nobis Deus prolixarum orationum necessitatem, quibus fortasse pares non sumus: simplex cordis motus, simplex animæ nostræ erga illum intuitus, secreta auxilii ejus invocatio, humilis miseriæ nostræ expositio satis est, ut illius protectionem obtineamus; sed mori malumus, quam medici opem exposcere. Hæc erit nostræ damnationis causa; hæc negligentia sola satis erit, ut nos nocentes efficiat. *Idem.*

Oratio consistit in gemitu cordis potius quam in verbis.

Ex S. Augustini sententia, oratio Deo accepta non est nisi cum gemitu cordis confociata. Multum orare non est multa proferre verba: oratio, quam cordis motus producit, & alit, longe alia est ab illa, cujus prolixitatem verborum multitudo constituit. Idem S. Doctor egregiam nobis adstruit orationis ideam, cum ait, quoddam esse negotii genus, quod gemitibus potius, quam verbis, & multiloquio transigitur: *Negotium hoc plus gemitibus, quam sermonibus constat.* Cum gemitu orandum est, quia afflicti, ægrotique sumus; nisi ergo ingemuerimus, hoc ex noxia tantum oriri potest ignorantia, quæ crudelissimam stupiditatem numquam excusabit. *Idem pro 11. post Pentecosten Domin.*

Virtus

Cui rei innitatur certitudo obtinendi quodcumque petierimus.

Virtus orationis non uni innititur bonitati Dei, verum etiam illius fidelitati; cum igitur adeo solido sit fundamento suffulta, umquam ne deficere potest? *Amen, Amen, dico vobis,* Salvator ait, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Deus fidelis est, inquit Apostolus, fidem non præstare non potest: & non pollicetur solum, verum etiam interposito jure jurando pollicetur se nobis concessurum, quidquid petierimus in nomine illius: numquid necesse erat jurare Deum, ut illi credere teneremur? Quis honor pro nobis est, Tertullianus ait, habere Deum pro nobis jurantem! at quanam illum afficimus contumelia, si juranti non credimus? Et nonne eidem nequaquam credere videmur, adeo timide, adeoque parum fidenter ad eum accedentes? Ambigere de orationum nostrarum effectu, ubi cum vera confidentia conjunctæ sunt, ambigere est de fidelitate Dei, cui per hoc injuriam inferimus; sed quanam & nosmetipsos injuria afficimus! De fidelitate Dei dubitare, hoc est prorsus esse infidelem. *P. Nepveu tom. 1. Christianorum Considerationum.*

Virtus orationis super Jesu Christi meritis fundata est.

Virtus orationis super Jesu Christi meritis fundata est; potestne solidius habere fundamentum? Quidquid ecclesia petit, & quidquid cum illa petimus, per Jesum Christum petimus, per merita illius petimus, ideoque si fidenter oremus, non exorare non possumus. Jesus Christus nobiscum petit, quidquid per illum petimus: numquid hoc illi negare potest Pater jure petenti id, quod per misericordiam suam pro nobis promeruit? Quid autem non promeruit, quandoquidem merita illis sunt infinita? Nihil est, quantumvis magnum, ac difficile videatur, quod petere nequeamus, & quod nos impetraturos sperare non possimus, ex quo illud per Jesu Christi merita flagitamus. *Idem.*

Orationis vis, & potestas.

Orationis potentia nullis finibus est circumscripta; quippe in cœlum, terramque sese extendit, quin ulla creatura, immo neque Creator ipse illi resistere valeat: & non secus ac ille unius vocis imperio omnia creavit, nos quoque omnia facere, & obtinere possumus humilis, supplicisque vocis virtute. Et sane putabam, mortem, quæ de omnibus mortalium artibus victoriam refert, & quæ imitatur potentissimorum Imperatorum in abjectissimum quemque potentiam: putabam, inquam, mortem superari non posse. Sed cum in Scripturis video Ezechiam orationis vi eam repellentem, atque in annos quindecim procul arcentem, fateri cogor, orationem longe potentiorem esse hac rerum omnium triumphatrice. Credebam mare, furens hoc elementum, domari non posse; quandoquidem fortissimo cuique formidinem, pallorem adfert, cum magno impetu suos fluctus attollit: verum ubi intueor Moysem, illum orationis virum, virga sua illud bifariam partiri, ut populo Dei inter illius fluctus viam aperiret: hæc est, tunc inquio, virtus orationis, quæ divinam imitatur potentiam totum Oceani furorem in arenæ cumulum allidentem, Cœlos, ac sydera spectans, quorum motus adeo bene instituti sunt, ac semper sibi constantes, fieri nequaquam posse arbitrabar, ut vel unum moræ, aut celeritatis momentum illis posset inferri; sed Josue historia doceor, potestatem hanc orationi reservatam fuisse: hic enim imperator Solis cursum remoratus est, ut cœptas perfequi posset victorias. Exercitus in aciem dispositi terribiles habere vires mihi videbantur; efficiunt enim, ut urbes, provinciæ, regna contremiscant; sed ubi prospicio Moysem in montis vertice oculis in cœlum sublatis, expansisque brachiis, quasi victoriæ lancibus, prout enim hæc attolluntur, vel demittuntur, ita Israelitæ varia belli fortuna decertant, cum S. Ambrosio dicere possum solam orationem exercitum esse in inimicorum omnium spiritum, animumque metum, terroremque incutientem. Denique mihi persuasum erat, varios vitæ hujus casus, pestem, famem, siccitatem, sterilitatem nullis posse remediis repelli: verum ubi agnosco orationem omnibus hisce malis mederi, hæc flagella avertere, eorumque inhibere progressum, iterum dico orationem omnipotentem esse, ejusque vim nullis esse terminis circumscriptam: *Omnipotens oratio, cum sit una, tamen omnia potest*; eruditissimus inquit Theodoretus. *Ex Sermone Manuscripto.*

Nomen Patris quod ergo non assumit Deus, jus nobis tribuit omnia petendi.

Patris nomen non amoris tantum est, verum etiam liberalitatis; secreto enim id naturali affectu, quidquid pater possidet, hoc filio suo destinat, qui exhæredari non potest, nisi enorme aliquod scelus patraverit, quod omnino patriam fatigaverit, exhauseritque bonitatem illius, a quo vitam accepit. Videmus etiam, cum quidam ex filiis orbatus est, molesta illi esse bona sua, neque eam inde percipere voluptatem, qua perfunderetur, si hæredem videret, cui illa reliqueret: adeo verum est, quod esse patrem, & esse bonum, duo sunt, quæ separari non possunt, ita ut parentum opes filiis deesse nullatenus possint. Hinc sequitur, quod Deum Patrem vocare nobis quamdam juris speciem confert, propter quod ab illo omnia expectare, atque sperare possimus, ideoque omnia, quæ nobis opus fuerint, ab illo petere. Esto quidem quæ petimus, non debeantur nobis, propterea quod merita nobis deficiunt: sed quod ad Patrem confugimus, hoc efficit, ut certi simus imperandi, & Deus postulata concedens justitiæ potius, quam liberalitatis actionem facere videatur. Hoc S. Chrysologus innuit per hæc verba: *Apud patrem non intercedit extraneus, intus est patris pectore, ipse qui interuenit, & exorat affectus. Ex Quadragesima P. Grisel 8.*

Petere in nomine Salvatoris certa via est obtinendi quod petitur.

Dei filius de orationis virtute certos non fecit, cum in Apostolorum persona nobis spopondit futurum, ut obtineremus, quidquid in nomine ipsius Patrem poscerimus: cum enim unice a Patre diligatur, Pater filii sui nomen audire non potest, quin sua viscera commoveantur, nobisque ea omnia concedat, pro quibus filius intercessor existat: *Ciro annuunt, qui suo ipsi amore superantur.* Salvianus ait. Nemo promptior est concedendo, quam qui amat. In Deo omnia quidem fortia sunt; nihil infirmum est, qua facile queat expugnari: verum si de Deo humano more loqui fas est, hoc in Deo infirmum esse dicerem, nomen videlicet Patris Salvatoris, quem tanto amore complectitur, ut illum proferentes certi sint, se votorum summam consecutures. Et S. Chrysostomus asserit hoc esse veluti dignum amoris sui pignus; & donec hoc nobis pignus fuerit, audacter a nobis peti posse, quidquid voluerimus. *Idem.*

Sæpe injusta petimus, quæ Deus juste negat.

Exaudimur, Sanctus Augustinus ait, solum quia petimus in nomine Salvatoris; & nihil in Salvatoris nomine peti potest, quod sit saluti contrarium. A Deo petis injuste litis victoriam; hoc nonne est recens addere scelus, velle efficere Deum injustitiæ tuæ ministrum, atque consortem? Petis bonam valetudinem, & opus, quas præneoscit Deus impedimento futuras saluti tuæ, eo quod nimium illis adhæsurus es, iisque abusurus; hæ non gratiæ tibi forent, sed pœnæ. Deus has negans te exaudit. Bona te poscere putas ea petens, quæ tibi mala futura sunt, & quorum carentia maximum bonum est. Non exaudit ille verba tua, sed desideria. Cupis esse felicem, sed bona, quæ flagitas, nocentem te facerent, ideoque infelicem. O Domine, nega mihi, quodcumque saluti meæ contrarium poposcero; hoc pacto exaudiri cupio. *Idem.*

Necessitas felix est debere orare.

Felix necessitas, quæ orare nos cogit: oratio enim confessio est nostræ submissionis Deo, nostræque egestatis, qua opem illius tenemur exquirere; frequens est recursus ad Deum, qui nos cum illo conjungit; argumentum est nostræ in eo confidentiæ, & jugis exercitatio humilitatis. Potestne majus nobis conferre bonum Deus, quam nullum nisi per orationem bonum concedere. quandoquidem tanta per illam nobis bona concedit? *Idem tom. 3.*

Oratio ad malum vitandum necessaria.

Oratio non minus ad evitandum malum, ac repellendum necessaria est, quam ad bonum faciendum; ideo voluit Jesus Christus precationi, quam ipse nos docuerat, finem imponi petendo, ut nos liberet a malo, sed potissimum a malo summo, quod peccatum est. Cum fragiles simus, atque infirmi, ac natura ipsa in malum proni, non aliud in nobis ad infirmitatem hanc roborandam, & funestam hanc proclivitatem reprimendam robur est, quam oratio. Ita Salvator prævidens terribilem tentationem, qua Discipuli in ejus passione oppugnandi erant, edixit, vigilantiam, & orationem dumtaxat adjumento eis esse posse, ne laberentur, quod cum neglexissent, consilium, adeo graviter lapsi sunt. Verum nequaquam minus necessaria est lapsis, ut consurgant. Peccator similis est paralytico, qui omnibus membris captus solum habet linguæ usum, quo suam exponat infelicitatem, & opem exposcat. *Idem.*

Perseverantia in oratione necessaria.

Mirum est, quod cum homines adeo pertinaces sint in incertis, fluxis, abjectisque hujus mundi rebus inquirendis, sint adeo impatientes in perquisitione salutis suæ, quæ bonorum omnium possessionem, & ab omnibus malis immunitatem complectitur. Quis non movetur, lapis apud principes, gratiarum dispensatores, ut aliquod ab ipsis beneficium obtineatur? Quæ sollicitudo, quæ cura non adhibetur? Quæ sese illis ostentandi diligentia? quod quidem jugis orationis habet locum; nam hæc actio satis palam per se loquitur, ejusque sensus intelligitur. In hoc autem quænam superandæ sunt difficultates? quibus periculis temet non gloriaris objicere? & post hæc præclare tecum actum putas, cum post multos laborum annos illud, quod tamdiu concupisti, consequeris. Cur hoc? quid id vehementissime desiderabas. Noane ergo patet, si

fatiga-

fatigamur, & impatientes sumus in iis, quæ ad salutem pertinent, hanc a nobis frigide optari, neque tangi metu interitus nostri, atque ita qualibet vel minima difficultate, quæ occurrat in via, nos deterreri. Ne hoc quidem non est imitari Chananææ exemplum, cujus spes, atque proinde oratio ad minimam Jesu Christi repulsam nequaquam frigescere visa est. *Ex specimine moralis. Tom. 9. in Evangelium Chananæa.*

Finalis perseverantia orationi concedi-tur.

Finalis hæc perseverantia; ad quam Angelorum, Sanctorumque merita pervenire non possunt; hæc gratia, quam Deus neque pœnitentium lacrymis, neque virginum pudori, neque martyrum cruciatibus promittere voluit, illam orationis suspiriis spopondit: *Petite, & accipietis*. Petentes illam quidem assequimini; non petentes autem, periculum est, ne illam consequamini. Si communem providentiæ ordinem intuemur, quædam sunt gratiæ, quas consuevit Deus offerre hominibus ne petentibus quidem, qualis est, ad fidem vocatio; verum aliæ sunt, quas præparavit illis, & quas eisdem conferre vult, sed numquam conferet, nisi, ut opus est, illas petierint; quo in numero finalis est perseverantia. Quænam est felicitas nostra, si voluerimus! etenim ut æternum beati simus, hoc petamus satis est, &, uti opus est, petamus; hoc enim illud est quod sedulo est animadvertendum. Hoc igitur pacto petere, primum est petere cum firma spe, nulla enim sine spe esse potest oratio. Volens Deus finalem a nobis peti perseverantiam, vult etiam nos sperare futurum, ut eam precibus nostris largiatur. Secundo est, illam perseveranter, atque ad ultimum usque suspirium petere. *P. Gegou, tractatu de præparatione ad mortem.*

Oratoribus necessitas conditiones non habentibus Deus largitur potius quã flectatur.

Nihil frequentius videtur, quam qui divinam majestatem offendunt orantes, quin illi cultum adhibeant. Orationes, quibus desunt qualitates, & conditiones necessariæ, divinam misericordiam avertunt, quin illam concilient; & si quid indicio est, quod nullo in discrimine habetur, utrum ea, quæ petuntur, obtineantur, necne, hoc sane est frigide, & negligenter orare. Clamores violenti sunt, cum acria sunt desideria, cumque desideriis hic fervor deest, non alia afferri potest causa, nisi quod vere minime ea afficimur re, quam postulamus.

Ullane coram Deo major nequitia esse potest, quam precari, ut eas nobis gratias impertiat, quas ipsi negligimus, & quæ ut nobis concedantur, non laboramus? Hæc est causa, propter quam tot preces inutiles sunt, propter quam tot mortales, qui labiorum motu loquuntur, exteriorique corporis habitu in supplicium morem compositi sunt, minime exaudiuntur. Ideo non obtinetis, Spiritus sanctus ait, quod male petitis, & quod oratio vestra iis est dispositionibus destituta, quibus opus est, ut exaudiatur. *Abbas Trappensis in explicatione regulæ S. Benedicti.*

Quanta sit hæc gratia, qua permittit Deus, ut illi preces offerantur.

Considerate, quantæ sit utilitatis, non aspernari hanc gratiam, quam summa cum facilitate, adeoque modicis sumptibus obtinere potestis, precibus videlicet ad ipsum Deum confugiendi, atque ab illo toties, & quamdiu vobis placuerit, audiendi. Ad hoc neque magna requiritur scientia, neque industria; satis est egere, & miserum esse, ut orare scias. Si Dei dona bonorum, voluptatum, & voluptuositatis ipsius pretio comparanda nobis essent, numquid vel paullisper hærendum esset, utrum ista conditione a nobis essent acquirenda? Cum autem certi simus nos dona eadem adepturos esse, dummodo illa petamus, quænam esset ignavia, quæ stupiditas eadem non poscere? Illis maximopere indigemus, atque ita in nosmetipsos crudeles sumus, ut necessarium nobis subsidium negemus. *Frontenière Sermone de Chananæa.*

Ut oremus quomodo oporteat, considerandum est pretium rerum earum, quas petimus.

Considerate pretium rerum, quas postulatis, & modum, quo postulatis. Dei possessionem, gloriæ hæreditatem, beatitudinis hæreditatem petitis; nihil majus petere potestis, & nihil minus petere debetis. Verum quomodonam ista poscitis? Aliquando ne animum quidem advertitis ad ea, quæ precamini, & metuitis immo, ut quæ precamini, obtineatis? Gratiam flagitatis, & peccatum relinquere non vultis, poscitis felicitatem, & nihil aggredi vultis, ut ad eam perveniatis. Hinc est, quod votis nequaquam damnamini, quia quæ petitis, non optatis, & secreta quadam cordis, labiorumque oppositione, vobismet in orationibus vestris pugnatis, ac vosipsi petitionum vestrarum effectum prohibetis. *De la Volpilliere Sermone de Christiani exercitio.*

Ex ne, effitare, in qua nascimur, discere deberemus a Domino petere ea, quibus indigemur.

Cum homines in egestate nascantur, nascuntur, ut ita dicam, in lab is orationem ferentes, & hunc loquendi morem, antequam ad loquendi ætatem perveniant, ediscunt. Hæc ars est, quam natura nos docet, & hoc primum subsidium est, quod afferat nobis, ut egestatibus nostris subveniat. Ita paupertas, quæ nobis ingenita est, atque, ut ita dicam, domestica orationis usum nobis efficere debet familiarem . . . *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; Psal. 15. atque in teipso rerum omnium abundantiam nanciscaris: verum Deus quoque meus es, quia ego inevitabilem habeo bonorum tuorum necessitatem; & quia tu unus ille es, ad quem confugere possum: *De necessitatibus meis erue me*. Psalm. 24. Nulla creatura est, quantumvis potens, quæ iis omnibus, quibus indigeo, prospicere possit; & nisi tu ipse medeatis, aliqua re semper egebo. *Ex moralibus Sermonibus, Sermone de Oratione.*

Non petimus a Deo iis cum dispositionibus, quibus oportet.

Quonam corporis habitu coram suprema hac majestate accedimus ab ea gratiæ, gloriæque bona, quæ infinita, æternaque sunt, petituri? Heu! eo pacto oramus, quo dare potius, quam petere videmur. Quæ petimus, nullo habemus in pretio, immo neque semper obtinere cupimus, quæ postulamus. Petimus gratiam, & diligimus culpam; virtutem postulamus; & ex vitiorum cæno emergere nolumus; criminum nostrorum veniam flagitamus, aliis vero illam concedere detrectamus: fidelitatem precamur, & vias illam acquirendi perhorrescimus . . . Quid! audes Deo dicere: fiat voluntas tua, cum nihil vis facere eorum, quæ petit abs te, atque ut inordinatis affectionibus tuis veliticeris, omnia illius mandata contemnis? Hoc nonne est te tibi opponere; nonne est contradictionem inter vota, & postulata, orationem inter, & mores statuere? . . . Ab hoc cœlesti patre petis quotidianum panem; & nihilominus de illius providentia diffidis, omnemque fiduciam non in misericordia ejus, sed in tua industria, atque labore constituis? Regas, ut tibi dimittat, quomodo dimittis illis, a quibus læsus fuisti, & corde foves odia, & ultionem anhelas? Sequere, & argue pro tua damnatione, te nolle, tibi parcere Deum. Denique Deum oras, ut a tentatione te liberet, & interim omnes conquiris occasiones, quæ te ad peccatum sollicitent. *Ibidem.*

Oratio esse debet cũ humilitate conjuncta.

Deus numquam rejicit orationem humilium, inquit Propheta; & hoc proculdubio spectabat S. Ambrosius docens, humilitatem quamdam esse commendationis speciem, quæ roborat orationem, efficitque, ut ita dicam, ut aliquo in pretio habeatur a Deo: *humilitas orationem commendat*. Ideo Sancti, quibus de hac veritate persuasum erat, hac in re toti erant; cumque aliquid a Deo vellent expetere, nonnisi summa cum reverentia supplices ad eum accedebant: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis*. Genes. 18. Fateor equidem orationem mentis esse elationem in Deum: sed donec nosmet amoris, & confidentiæ attollimur motu, opus est, ut nosmet intra nos indigenitatem nostram intuiti demittamus. Oratio est actio pauperis, inquit Augustinus; qui petit, se egere fatetur; quid autem pauperi melius, quam humilitas convenit? *Ex Anonymo.*

Petentes fatigari non debemus, ne Deus concedes fatigetur.

Principes certum quemdam gratiarum numerum dumtaxat efficere possunt, longe minorem numero illas precantium, atque exquirentium; ideoque opus est, ut aliis satisfacturi aliis displiceant. Aula plena mortalium est senescentium, quin quidquam obtineant; attamen non fatigantur, & spe numquam excidunt; verum Deus longe a principibus dissimilis est; largiens numquam ad paupertatem redigitur, & numquam suas opes exhaurit, quantumvis large, effuseque illas distribuat. Qui illius obtinet gratias, aliis cupientibus non officit; & nemo non imperat, quod poscit, si poscentis saluti futurum est utile, dummodo petere perseveret . . . Ita quicumque erat, hac mente orare debet, se numquam fatigandi, & quam primum intelliget, orationem suam effectu haud quaquam carere. Videt, magnum sibi bonum esse in hac submissione erga Deum vivere, in illo confidere, & multum ab illo obtinere, qui obtinet perseverantiam in hoc statu humilitatis, qui esse debet omnium fidelium status. Multum quoque obtinet a Deo, qui suam sentit miseriam, & paupertatem. *Specimen Ethica tom. 5.*

Discere oportet, ut Deum orare sciamus.

Pauperibus nihil est addiscendum, ut petere sciant, quod sibi opus est; solus egestatis suæ sensus illos satis, superque erudit. Hoc ipsum de omnibus temporalibus necessitatibus dicendum est; nullo opus est magistro, ut petendi scientiam edoceamur; verum ut Deum orare sciamus, haud ita parum requiritur. S. Joannes Baptista discipulos suos hoc docuerat; & non immerito Jesu Christi discipuli eamdem gratiam poposcerunt. Etenim non solum non habemus egestatis nostræ, & eorum, quæ vere nobis necessaria sunt, sensum; sed earum rerum sensum, & cupiditatem habemus, quæ necessaria non sunt, & non sunt exquirenda. Novit Deus infirmitates nostras, nos autem

tem illas non videmus: quid igitur melius facere possumus, quam nosmet ejusdem tradere providentiæ; ac nos regere juxta voluntatem ipsius, quam ipse nobis aperuit, & est, ut semper oremus, quin fatigemur, & animum despondeamus: *Oportet semper orare*. Hoc ille nobis in evangelio declarat. Verum plerorumque precantium hic spiritus est; nisi Deus illos juxta desideria ipsorum exaudit, vel si paulo diutius differt ea, quæ postulantur, statim orationem in querimoniam, & murmur convertunt. *Ibidem.*

Præstantissima oratio illa est, quæ ex corde profiscitur.

Oratio præstantissima, juxta Sanctorum doctrinam, ea est, quæ fit per effusionem cordis coram Deo. Charitatis ardor, S. Augustinus inquit, est clamor cordis. Semper clamamus ad Deum, si illum semper diligimus. Adest quidam interioris affectionis clamor, Sanctus Ambrosius ait, qui in cœlum se extendit. Deus orationem hanc libenter exaudit, quia cum totus spiritus sit, oratio, quæ fit in spiritu, procedit ex amore, qui est lingua cordis. Sed heu! quot mortales sese coram Deo oraturi prosternunt, quin ullum amoris gustum habeant, vel sensum, S. Augustinus in Enchir. cap. 7. inquit? Habere quidem possunt verbi sonum, at orationis vocem non habent, quæ vox cordis est; ideoque multi sunt, qui cum Deo loquuntur, ut vulgo dicitur, sed qui illum orent, paucissimi: *Loqui cum Deo multorum est, orare autem paucorum*. Hoc pacto secum animam christianam agere vult Deus. Hæc cordis expansio, & hæc benevolentiæ, atque familiaritatis licentia eidem est jucundissima: ideoque sanctus rex David, qui mirum in modum hanc orandi rationem noverat, de seipso dicebat; *Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio. D. Bartholomæus de Carranza in tractatu quodam de oratione art. 3.*

Cum humilitatis, & contritionis sensu orandus est Deus.

Eximium hujus rei nobis suppetit argumentum in Publicano, qui in templum oraturus ascendit, & quem Jesus Christus nobis tamquam peccatoris, cujus accepta oratio est, exemplum proponit. Publicanus, ait ille, procul stans ne oculos quidem in cœlum audebat attollere, sed pectus suum tundebat dicens: Miserere mei Deus, quia peccator sum. Hic homo rubore suffusus eorum scelerum, quorum dolore intrinsecus conficiebatur, extrinsecus internam testabatur confusionem, in inferiori templi parte subsistens; & horror, quo propria detestabatur scelera, & quo prohibebatur, ne cor suum attolleret ad Deum, efficiebat, ut ne oculos quidem illuc ferre auderet, sed hos in terram demittens sibi percuteret pectus, neque os aperiret, nisi ut Dei misericordiam imploraret, quam ita exoravit, ut ex templo justificatus excederet. *Idem.*

De loco ubi orandum est.

Vis, virtusque orationis non pendet vel ex tempore, vel ex loco, ubi fit, vel ex rebus exterioribus, quemadmodum Ethnici, & Judæi arbitrabantur; sed ex interioribus cordis affectionibus, quæ illius radix sunt, & origo. Et præceptum, quod divinus Magister hac in re tradidit nobis eo in sermone, quem habuit in monte, cum ait: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum*: satis aperte ostendit secessum, & secretum cordis, locum esse orando aptissimum. S. Augustini sententia est, illic Deum nos audire, videre, considerare, & exaudire. Illuc nosmet recipere debemus orantes, ut inania quælibet phantasmata procul arceamus, ne externarum rerum cogitationes ingrediantur nostros sensus, atque perturbent; utque hoc pacto orationem nostram prorsus spiritualem efficiamus cum Deo solo in intimo animæ nostræ sinu loquentes. *Idem.*

Orationi omnes accedere debet viva fides.

Inter causas, propter quas tanta est virtus orationis, fides est potissima: ab hoc Dei dono vim mutatur oratio, qua pollet in effectibus suis obtinendis, quemadmodum a charitate ea mutuatur omnia, quæ illam pro peccatis meritoriam, & satisfactoriam efficiunt. Orationis effectus semper fidei par est, cum qua effunditur. Quamobrem legimus in evangelio Jesum Christum duobus illis cæcis, quos curavit oculos eorum attingens, non aliud dixisse, nisi quod juxta eorum fidem postulata concederentur. Verum, dixit Centurioni, qui pro servi sui salute precabatur, & sicut credidisti, fiat tibi. *Idem.*

Vult Deus in precibus nostris vulgo Pater vocari.

Dei filius non poterat melius amoris sui erga nos immensitatem ostendere, quam præcipiens, ut preces, & alloquia nostra cum Deo ex his verbis inciperemus: *Pater noster*. Inter tantam varietatem nominum, quibus in veteri testamento illum Scriptura vocat, non videmus tamquam filiis Israel publicæ alicujus legis vi, licuisse Deum Patrem suum appellare. Illum Dominum, Altissimum, Omnipotentem nuncupabant, & ipse etiam Abraham Patriarcha vir ille Deo unice charus, in quo omnes terrarum populi benedictionem erant consecuturi, numquam accedebat ad Deum, ut eidem loqueretur, quin eum Dominum appellaret. Isaias quidem, aliique Prophetæ dixerunt illi, tu Pater noster es; tu nos efformasti; verum hæc non erat populi lingua; neque præceperat illis Deus, ut hoc nomine appellaretur. *Idem Tractatu de Oratione Dominica.*

Orare discendum est ab iis, qui eleemosynam.

Qui se ipsum tamquam alienigenam cogitat, nullumque jus ad aliquid habentem, facile concipit sensus pauperis, cujus unius est orare, uti oportet. Pauper, cui desunt omnia, præceptis non eget, ut petere sciat. Admonendus non est, ut cum petierit, attentus sit; neque præscribenda sunt illi remedia contra distractiones, quæ impedimento esse possent, ne animo esset attento. Nihil illi de patientia, perseverantia, assiduitate suggerendum est. Satis est pauperem esse, ut nullo egeat præceptore. Illum sua erudit egestas; atque necessitas quibuscumque documentis præstantior est. Attamen quid hæc paupertas est, qua urgeur? Homines, coram quibus apparet adeo humiliatus, & miser, & in quibus miserationis sensum excitare studet, illi bonam valetudinem, si ægrotaverit, vocem, aciemque oculorum, si his caruerit, reddere nequeunt. Tota illius erga hos necessitas ad exteriora duntaxat redigitur, panem, & indumenta. Immo ex iis, a quibus videtur, petit solum exiguam stipem, atque minutissimum nummi genus, quod vulgi manibus teritur. Plurimi hoc illi negant, ipse vero patienti hoc animo fert; multi illum ne respicere quidem dignantur, & hunc contemptum æquo patitur animo, & plurimas expectat horas, & sæpe etiam dies integros, quin in questus erumpat. Parce loquitur, sed lacrymæ, atque suspiria verborum locum tenent. Sese ostendit ea modestia, atque humilitate, quæ majorem habent ad movendum vim, quam ipsi sermones; & si quadam cum miseratione cum illo de ipsius necessitatibus loqueris, vides, illum hac humanitate adeo flecti, ut satis exprimere nequeat vel suos grati animi sensus, vel miseriam suam, atque tunc uberius ex oculis ejus lacrymas fluere intueris. Quantum hoc nobis exemplum est! & quonam rubore nos suffundere deberet? Sine ulla comparatione ipsi pauperiores sumus in oculis Dei, quam in nostris esse possit mortalium omnium miserrimus; nihil habemus, quod ab illo non receperimus. *Idem.*

In Deo bonitatis effectus est orationes nostras audire.

Patitur Dei bonitas, ut in nostris necessitatibus confugiamus ad illum; quantumvis magnus ille sit, nobis autem præbere non dedignatur, ubi illi nostram exponimus egestatem. Quodcumque donum petamus a Deo, parum religiose eidem nuncupamus vota, nisi cum hoc dono ipsum etiam Deum simul quodammodo petamus: ejus gloria, & gratia cæteris quibuscumque bonis debent præstare; atque reverenter parum illum oraremus alia affecuturi bona, nisi hæc ad ipsius gloriam, & gratiam referrentur. Nonne hoc esset magnitudinis illius obliviscі, temporalia tantummodo cogitare bona, cum coram infinita illius majestate preces nostras effundimus? Deus adeo bonus est, magnus, ut mediocria nobis beneficia donare non possit; nihil libentius concedit, quam seipsum; & periculum est, ne illum ad iracundiam irritemus, si quid minus petamus. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia religionis, Ethicæque argumenta.*

Negligentia, qua Deũ oramus.

Ne putetis, orationes negligenter factas dignas esse, quæ Deo offerantur, atque illius gratiam obtineant. Si certo scieretis causæ alicujus eventum, in qua vita, vel honor agitur vester, a petitione vestra pendere, qua cura illam instituere satageretis? Omnes proculdubio leges, formulas omnes ibi servaretis, ne quid vel judicium vestrorum oculos offenderet, vel illius effectum posset prohibere. Illius oraculo, qui judex noster futurus est, certo scimus bonum caulæ salutis nostræ eventum ab orationibus nostris pendere; cur ergo hac in re adeo oscitantes sumus, cur adeo parum cordi nobis est, bene orare? Hæc proferre non extrema infelicitas est, quæ inter fideles esse possit, orationum videlicet defectus; si enim verum est salutem nostram a Dei gratia pendere, ac si Dei gratia a nostris orationibus pendet, sequitur necessario, ubi orationes nostras inutiles reddimus, nos salutis nostræ adminicula perdere. Ecce quo tendant hæ fatales negligentiæ, quas adeo parvo habemus in pretio. Hac ipsa de causa dæmon nullum non movet lapidem prohibiturus, ne Christianus oret. Prohibere quidem non potest, quominus Christianus ad orationem confugiat; sed prohibet, ne in oratione eas afferat qualitates, quas exigit Deus. Id facit, quod Holophernes in obsidione Bethuliæ, qui, ut facer loquitur textus, armatas militum manus ad aquarum fontes disponit, easque jussit rivos infringere, per quos aquæ ferebantur in urbem. Ita salutis nostræ inimicus frangit, vel avertit sacros rivos, per quos Deus gratias suas emittit, ut hoc nostræ feli-

cita-

ctatis commercium abrumpat. *Bironæ, in tomo separato, quosdam in anni Dominicas Sermones complectente.*

Nostris in orationibus non deest oppositio.

Quænam est orationum nostrarum contradictio! In devotionum nostrarum fervore, beatisque momentis, quibus Spiritus sanctus nobis orandi modum tradebat, salutem nostram enixius, ac præ cæteris quibuscumque bonis poposcimus; oravimus Deum, ut omnia nostra huic uni posthaberet; testati sumus, quacumque via ille nos ad se perduceret, hanc nobis semper fore suavissimam. Nisi oratio hæc illum nobis conciliasset, prope fortasse erat, ut nos in corruptas fæculi vias abire pateretur. Nos voti damnavit, atque hoc pacto ostendit, non aliam fuisse viam, qua certam faceret nostram salutem, quam eam calamitatem, & ægritudinem, qua nos percussit. Hodie vero hæc nos terret via; ea, quæ fecimus, improbamus: væ nobis, si nos Deus exaudit. *P. Cheminais in sensibus plectatis.*

Precibus nostris Deus non fatigatur.

Mortalium neminem assiduus de rebus nostris sermo non delassaret: attamen, Domine, non mediocre meritum puto de illis apud te indesinenter habere sermonem. Scio paterna viscera tua nostris commoveri necessitatibus, atque te melius, quam nos, quid nobis sit opus, scientem; quæstus nostros audire dignaris. Verum semper tua abuti benevolentia, & dignatione, qua nobis adhibes aures, indignitas est; secundum mundi instituta, qui coram principe semper de seipso verba faceret, tamquam importunus, parumque fanus ejiceretur: unus tantum est Deus, qui nostra non fatigetur importunitate, nostraque fastidiat preces, quantumvis nimiæ videantur . . . Nonnumquam sane nosipse repellis, atque aures nostris clamoribus obstruis; sed frustra hoc simulas, atque temet ad severitatem componis; te bene novimus, idem erga nos semper es, ac dicere possumus, te numquam melius pro nobis dimicare, quam cum contra nos dimicare videris. Si enim certas, ideo certas, ut vincaris, & resistis, ut cogaris. Similis oppidorum ducibus, qui inito cum hoste pacto, resistunt, ut sese dedant: *Amar vim pati, desiderat a te superari*, quidam Sanctus Pater ait. Hoc in Chananæ exemplo innotescit; postquam aliquandiu resistit, tandem se victam fatetur. *Ex Manuscripto Sermone.*

Quid petendum a Deo in oratione.

Quemadmodum Salvator nihil nobis concedit, nisi quod saluti nostræ prodesse potest: non licet aliquid ab eo, vel propter aliud finem petere, vel alia mente uti: Non est igitur malum a Jesu Christo temporalia quærere; sed malum est quærere solum temporalia, hæc tantum concupiscere, & sacrificium non offerre, nisi ut terrena tantum bona assequaris. Nihil hujusmodi orationibus permittere potest, nisi per justitiam, atque in orantium pœnam . . . . Hanc igitur regulam sequi opus est. Primum quidem ea petenda sunt, quæ bona sunt; petere enim ea, quæ injusta, vel mala sunt, idem est, ac velle, Deum crimini nostro velificati. Neque satis est ea, quæ petuntur, in se bona esse, opus est bona esse ratione petentis. Bona valetudo bonum est; tibi vero fortasse non item, si enim bene valueris, fortasse te omni libidinum genere ingurgitabis. Divitiæ per se malæ non sunt; at si dives esses, interires. Terrena semper petenda sunt, quatenus ad salutem referri possunt; alioquin quantumvis bona sint, nobis sint mala. *Sermo Manuscriptus.*

De virtute orationis in muliere Chananæa, quæ Dei filium vicit.

Hodie Cœli potentia cedit mulieris infirmitati, nosque in ancipiti relinquit, utrum magis mirum sit, quod Deus adeo imbecillis fiat, ut hominum vi se vinci patiatur; an quod homo fiat ita fortis, ut Dei superare valeat omnipotentiam. Obstupesco videns Deum, ut ita dicam, inermem, & vi sua quodammodo exutum, quantumvis insuperabilis illa sit, eousque ut a creatura se vinci sinat; sed ex altera parte non minor stuporis causa est, videre mulierem hanc fortem, ac strenuam, novo armorum genere de illius potentia triumphantem, cui cedunt omnia, & nemo resistere potest. Ut verbo me expediam, dignum nostra admiratione prodigium est, videre Dei filium victum mulierculæ precibus, postquam sese quodammodo contra illius vim munierat, & quodammodo sese præparaverat, animumque suum obfirmaverat, ut filiæ salutem matri illum adeo enixe flagitanti negaret: *O mulier, magna est fides tua. Reina, sermo de Oratione.*

Ab oratione cessandi non est, quamvis Deus statim non audiat.

Evenire quidem potest, ut primum Deus nos audire velle dissimulet. Hic pater est, qui diu filii sui vitia passus est, & qui non adeo facile sese dedere vult cum eo in gratiam redire quærenti. Verum cessandum non est, immo iterandæ sunt preces, quamvis Deus illas repellere, & nobis aurem negare velle videatur. Illi dicere oportet; dixisti, Domine, eo tempore, quo peccator ad tuam confugeret misericordiam, te preces illius esse exauditurum; ego vero incessanter vocem, clamoremque attollo opem dexteræ tuæ perituros, & non cor, neque aures pro me habere videris; atque videtur ob oculos misericordiæ tuæ densum expansum fuisse velum, ut voci, lacrymisque meis aditus præcluderetur. Dic cum Jacob: nequiquam obluctaris; non dimittam te, nisi eam, quam enixe flagito, gratiam mihi concesseris. *P. Geon in libro: cui titulus: Usus pœnitentiæ.*

Orationes, quæ effuduntur coram Deo, peculiare postulant attentionem.

Nullus vulgatior est orationis actus, & nullus fortasse, quo Deus minus honoretur. Omnia resonant laudibus Domini, ac votis, quæ illi nuncupantur: verum cor, & spiritus in oratione cum labiis consentiunt? Nonne vere dici potest, plurimas quidem recitari orationes, sed paucas fieri? Quamvis bonum tantummodo sensum consuleremus, & idem, quam de hac sancta exercitatione haberemus, per otium videre possemus, quam oscitanter, quam tepide, & quam parum decenter hoc munus obeamus; & nonne jure ex nobis quæri posset, utrum Deum imitaturi precemur? Oratio colloquium est cum Deo, ubi anima, ut ita dicam, in sanctuarium admissa, & introducta Domino suas exponit necessitates, infirmitates suas repræsentat, tentationes, ac fragilitatem suam detegit, & vivo reverentiæ, amoris, & gratitudinis sensu percita, cum profunda erga mandata illius submissione, tum confidentia, & votis illum colere satagit. Adeo perfectus religionis actus esse non potest praxis tantum exterior? Atque si quo tempore cum Deo agimus, spiritus eo usque evagatur, ut ultro attentionem, interioremque devotionem amittat, hiccine Deum orat? *P. Croiset tomo 2. Christianarum considerationum.*

Ubique orari potest, dummodo oretur in spiritu, & veritate.

Necesse non est montem ascendere, neque Jerosolymam sese conferre, ut in spiritu, & veritate adoretur: oratio tanto nobis labore non stat: verus cultus, ut ita dicam, ab animi nostri affectu pendet. Ubi ubique adorari potest, dummodo in spiritu, & veritate adoretur. Semper paratus nostris necessitatibus subveniendo id unum petit, ut illæ sibi ex arrentur, atque non postrema conditio, quæ ad id requiratur, ut voti damnetur, hæc est: firmiter credere, & non hæsitanter sperare, nos votis damnatum iri: *Credite, qui accipietis, & fiet vobis.* Turba non prohibet amplius, quominus propius accedamus ad Jesum Christum. Quantuscumque sit supplicium numerus, singulis, ubi volunt, privatim adhibet aures, semperque in nostra positum est potestate alloqui quamdiu voluerimus. Numquam expectandum est; Domini tempus semper nostrum est. Ad pedes illius provoluti, quamdiu placuerit, immorari possumus, quin Martha conqueratur. Nemo ex discipulis nostram improbat importunitatem; nullius Phariræi censura nobis metuenda est; omnia nostræ favent pietati. *Idem.*

Ut plurimum non satis attente, ac reverenter oramus.

Undenam fit, quod adeo male oramus? quia ne cogitamus quidem nos orare: quis enim adeo parum religiosus esset, qui adeo oscitanter, & negligenter orare, cogitans se cum Deo loqui? Oratio non solum confidentiæ nostræ argumentum est, verum etiam fidei mensura. Quis religionis actus majorem ex nobis attentionem exposcit? Oratio inter procellas proximus est, ac tutissimus portus. Oratio æque irritos facit hostiles conatus, & dolos, & fieri nequit, ut non vincat, qui bene orat. Væ illi, cui inutilis oratio fit. Verum bona fide quæso, eo modo orantes Deum, quo illum oramus, putamusne orationem magno nobis fore adjumento? Quamplurimi totis orant diebus, quin orent, Deus cordis dumtaxat linguam audit, & exaudit. Plura verba sine attentione, & affectu prolata parum significant apud illum, qui cultum mere exteriorem flocci pendit. Salvator intuetur solum fidem, interioremque devotionem pauperculæ, infirmæque mulieris fimbriam vestimenti sui attingentis: tubæ circumundique urgentis tumultu non afficitur; cor loquatur, oportet, & agat fides, si a Domino cupimus exaudiri: soli clamores cœci Jerichuntini parum valent, nisi Jesu Christo votorum suorum aperit summam: mentis attentio, & affectio cordis anima sunt orationis. Mirum! Necessitates nostræ inevitabilem nobis injiciunt semper orandi necessitatem; atque deplorabili inversione preces iterando ita affuescimus, ut nesciamus amplius, quid fiat, cum oratur. *Idem.*

Mirantur homines, quod post ea, quæ de orationis certo eventu Dominus locutus est, adeo pauci, quod petunt, assequantur; verum numquid mirandum esset potius, si nobis orantibus, uti fit, orationes nostræ majorem vim obtinerent? Ne insimulemus Dominum, quod promilli fidem minime exolvat, & gratias suas parcius impertiat: affectiones nostræ, negligentia attentionis, ac religionis in precibus ipsis defectus illum, ut ita dicam, avertunt, & cogunt, ne minime exaudiat . . . . Oratio humilem poscit spiritum; audetne aliquis non satis reverentiæ testari, cum principi supplicem offert libellum? Quis supplex vel minime cujuspiam urbanitatis officii oblivisciturⁿ? Natura ipsa nos ad reverentiam, obsequiumque componimus, cum aliquid ab hominibus precaturi accedimus; & cum Deum unum oramus, nosmet ab officiis adeo necessariis solutos existimamus. Et sane hi corporis habitus molles, & male compositi, hæc inquietudo, evagatio, tædium, quæ orationes nostras comitari consueverunt, suntne humilis, religiosi, plenique Deo cordis indicia? A Deo audiri volumus, & nosmetipsos non audimus: volumus, illum rationem habere orationum nostrarum, quibus ipsi ne tum quidem advertimus, cum eas pronunciamus. In his labia Deo honorem deferunt; quæ vero cordis pars est iis in orationibus, quæ ex mera consuetudine proferuntur? Dominus parum afficitur laudibus, quæ sibi deferuntur, & votis, quæ errabundo spiritu nuncupantur. *Idem P. Croiset.*

De orationis certitudine, dummodo ea petamus, quæ petenda sunt.

Nihil denegat Deus perseveranti confidentiæ, humilique pietati. Credite futurum, ut oratio vestra exaudiatur, Salvator inquit, & certissime quidquid petitis, assequemini. Quare confidentia nostra adeo infirma est? Quia in ejus cultu ignavi sumus, ac inertes; ipsi negamus, quod petit ex nobis; quemodo nobis persuadere possumus, ipsum nobis, quæ petimus, concessurum? Qui vero in orationibus suis neque ob reverentiæ, neque ob attentionis defectum peccant, hi plerumque in ipso orationis fine deficiunt. Pauci enim ad orandum cupiditate aliqua minime ducuntur, pauciores adhuc juxta Domini placitum orant. *Nescitis quid petatis*, ajebat Jesus Christus matri filiorum Zebedæi. Numquid intentiones, finesque nostri rectiores sunt? Numquid puriora sunt nostra desideria? Libenter tibi sapientiam concedo, inquit Deus Salomoni, *quia postulasti*; verum non ideo minus te annis, honoribus, bonisque cumulabo, quia hæc non postulasti: *sed hæc quoque, quæ non postulasti, dedit tibi*, 3. Reg. 3. Deus affluenter nostris prospiceret necessitatibus, si orationes nostræ semper essent christianæ. *Idem.*

Deo injuriam facit qui sine reverentia, & attentione illum orat.

Quid a Deo petere possunt mundi sectatores, qui evangelii documenta fastidiunt? Donec mundo cor abditum est, vota, quæ Domino nuncupantur, esse possunt sincera? verba ipsa, quæ obsequii plenissima sunt, totidem sunt contumeliæ, cum aliud cogitas, & aliud loqueris. Quænam vero illa esse potest oratio, cum mens, & cor, atque vitæ mores palam mendacii coarguunt, quidquid labia Deo dicunt! . . . . . Sed licet iidem mortales a Deo utilia peterent, sperarene possunt, se votorum summam consecuturos, cum adeo parum reverenter ea petant? Nonne immo Deum afficere contumelia est, eumque ad iracundiam provocare, illud sine attentione, ac reverentia precari; Usquequo, Domine, patieris, peccatorem per os suum tuas laudes assumere, nonnumquam ipse peccator inquit? Tecum impudenter loquitur sine attentione, & obsequio, quasi stupidus esses, omnique injuriarum, quæ tibi inferuntur, sensu careres: *Effunde super eos iram tuam*, addit Propheta Ps. 68. Ultionem reposce de hac impiorum irreligione, ac nequitia, itaut sentiant, quod quantumvis sis patiens, neminem tamen impune tibi illudere finis. Etenim revera qui ita Deum alloquitur inter eas affectiones, quæ nos Dei inimicos efficiunt, non minus illudit illi, quam qui Salvatorem percutientes quærebant ab eo, ut, a quo percuteretur, divinaret. *Idem.*

Orationum multitudo improbanda non est.

Iterantes orationem nequaquam in periculum adducimus eam inutilem efficiendi. Injuria imputatur multitudini subsidiorum egestas eorum, qui abutuntur illis: quo magis Deum, uti decet, oramus, eo magis bene orare discimus. Sine intermissione orari jubet Apostolus; & quot sunt sancti religiosi, quorum somnus ipse, & labor vix, ac ne vix quidem orationes eorum interrumpunt! Fidei defectus, ac morum nequitia effecerunt, ut nos orationis tæderet, & nimis grave jugum illius videretur. Devotionis societas numquam fuit cordis vere Christiani character. Tunc tædet servitutis, cum dominus non diligitur; tempus semper diuturnum videtur, cum ea, quæ fiunt, non admodum placent. Pietatem alere non est, illam extinguere. Metuendum non est, ne noceant alimenta, cum ipse cibus famem auget. Numquid tentare fortes est, & infirmos atterere, arma suppeditare, & augere suppetias? *Idem.*

Felix status eorum, qui Dei laudibus recinendis vacant.

Quodnam in terris munus magis accedit ad munus Angelorum in cœlo, quam hoc die, noctuque Domini laudes recinendi, eique indesinenter populorum vota offerendi? Quinam status beatior? Quis sanctior minister! Sæcularibus expeditos curis, sacris tantum divini cultus ministeriis sacrarii incolas, jugiter ex officio ad Jesu Christi pedes adstare; ab Ecclesia deputatos omnium fidelium pomine Dominum alloqui: ut olim Moyses incessanter manus, oculosque attollere in cœlum pro illis, qui cum fatuis hostes decertant: ut olim Gedeon, iteratis clamoribus referre victorias; & singulari privilegio in terris novum efficere mortalium Angelorum chorum dies suos traducentium æternas Altissimo actiones gratiarum reddendo illi, nuncupando vota, & singulis horis sacrificium laudis offerendo. *P. Croiset, tomo 2. Christianarum Considerationum.*

Publicarum orationum virtus.

Conjunctæ fidelium preces quam vim non habent! Sæpe exaudiuntur, inquit Propheta, antequam etiam ablolvantur: *Adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Nihil negatur ineffabilibus Spiritus sancti gemitibus omnes ecclesiæ preces animantis. Si Dominus adeo solemni jurejurando sejpsum adegerat ad ea exaudienda vota, quæ in veteris legis templo fiebant; quænam erit votorum novæ legis prærogativa? Omnia cedunt, ut ita dicam, merito, & efficaciæ divini officii, in spiritu, & veritate, pura, sanctaque mente celebrati. Hoc illud est laudis sacrificium, quod veteribus holocaustis Deus præfert. Cum justa concipitur religionis idea, non aliud cogitari potest de publica oratione, quæ cum ipsa ecclesia nata est, & quam temporum omnium consuetudo probavit. Illa, quam effuderunt Apostoli, ut Spiritui sancto recipiendo sese disponerent, cæterarum exemplum fuisse videtur. Hic idem ille spiritus est, qui tot sanctorum myriades impulit, ut omnes dies suos religioso huic muneri devoverent: & quis alius spiritus tot fidelibus mentem injicere potuisset, ut tot elargirentur opes in victum eorum, qui Dei laudibus tantummodo recinendis erant destinati? Hinc frequentissimæ illæ electorum Dei societates, ecclesiæ a primis usque illius exordiis ornamentum. Hinc opimæ cœnobiorum institutiones, æterna pietatis primorum fidelium monumenta. *Idem.*

Publica oratio Deo accepior privata.

Quot pauperes privatæ vacant orationi, quibus Jesus Christus parum favere videtur! Nihil negatur, ex quo omnes simul discipuli suas preces, & vota conjungunt. Cave, ne orationum proximitati, cæremoniarum uniformitati, repetitionum frequentiæ, quibus divinum abundant officium, acceptam referas nauseam, qua publicam orationem fastidis. Nauseam non epularum lautities parit, sed malæ ægrotantis stomachi affectiones, quæ illum fatigant, & inutile efficiunt tempus, quod impendit cœnæ, ubi per otium vesci posset. Visne in adeo sancta exercitatione nullam experiri crucem, nullam diuturnitatem? Gustare vis muneris adeo perfecti suavitatem, accede corde puro, religiosa mente, fide viva; quamprimum cœlestis unctio leve hoc tibi jugum præbebit: Nemo fastidium metuit, qui quod facit, amat. *Idem.*

Nullum majoris momenti munus est, quam divinum officium recitare: verum qua reverentia, qua attentione, qua pietate, quo zelo recitatur? Negligentee vel ab innixis, vel a semisopitis cum aliis profertur, quin plerumque intelligatur, quod dicitur; vocis tonus, quam sine ulla consideratione habitus format, recitatio præceps, quæ nauseam, tædiumque palam testatur; semiverriculus oscitanter cum aliis profatus, dimidiata genuflexio, contracta frons in cæremoniæ formam, corporis habitus ubique profanus, & sæcularis: quis pudor, Domine, si hæc vera est plerorumque ministrorum tuorum imago? . . . Crederne quispiam suo orandi muneri satisfecisse, cum Deus irreligiosas has preces nobis crimini verter? Oranti spiritus effugit, verum est; sed corde orante longius non recedit; quædam distractiones invitis etiam suborinuntur, verum est; at numquam inviti pietate, modestia, reverentia in oratione caremus. Hand præcipiti cum festinatione loquere, cum viva fide preces effunde, orationem tamquam potissimum officium tuum cogita, tuum munus adimple, ac semper christiano more precaberis. Deum orans cogita Deum a te erari, considera orationem, quæ de præcepto est, non se simplicem devotionis orationem; linguam proferre debere sermones cordis, ob orantis animum versari semper debere objectum cordis sui, & decorum, ac reverentiam necessario in quovis religionis actu requiri. *Idem.*

Quomodo orandus est Deus.

Orandum est agendo, & agendum fatendo, voluntatem, & actionem a Deo nobis tribui. Hoc egregie S. Augustinus explicuit, cum ait, nos *humiliter petendo, & faciendo* pares fieri gratiæ Dei recipiendæ, ejusque Spiritui in nos attrahendo. Hæc paucis contenta verbis tota est vitæ regula. Primum enim orandum est, ut obtineamus gratiam id faciendi, quod præcipit Deus. Fides per orationem obtinet, quod lex imperat per præcepta. Sed satis non est orare, cum profundada hu-